

*dilatatio.* sed determinatam, & efficacem. Idea igitur includit non solum actū intellectus, verum etiam volūtatis efficacis. Hoc vel maxime argumento cōiunctus Locius Carbaialus refutatur Theologia libro vnico cap. 50. sibi à cōmuni theologorum sententia discedēdū putauit Ideas etiam Deo earū rerum, quæ nūquam erunt, attribuentiū. Cui nos facile respondemus, qđ & si Idea, vt exēplar, exemplar inquam actū includat Dei voluntatem efficacem, & determinatā, non tamen Idea vt ratio, siue vt exemplar virtute. Iam vero Dionysius, & Augustinus de Ideis videntur esse locuti, prout sunt actū exēplaria, sic enī earū rerū sunt solū quas Deus pducit, aut producere statuit: non itidē earū, quas Deus pōt facere, nūquā tamen faciet, harū siquidē est Idea vt ratio solū, aut vt exēplar virtute.

Q V A E S T I O . 6 .

*Vtrum res creata verius esse habeant in Ideis diuinis, quam in se ipsis.*

**H**AEC quæstio vnum supponit, & aliud exquirat. Supponit siquidem res creatas esse in diuinis Ideis: exquirat autē, an ne verius esse habeant in Ideis, quam in se ipsis: quocirca id quod supponitur prius est excutiendū, deinde id quod quæritur.

Illud igitur pro explicatiōe eius quod supponitur, est primum annotandum, perinde esse res esse in diuinis Ideis, atq; esse in eius essentia, siquidem Idea nihil sit aliud quam ipsa diuina essentia interim cōnotando exēplaritatem, & immitabilitatem.

*1. Cōclu.* Secundo notandū est aliquid esse in Deo, & aliquid in diuino intellectu. Rursus quæ sunt in Deo, aut sunt in ipso formaliter, aut sunt in ipso virtualiter & eminenter.

Subijciuntur ergo aliquot conclusiones. Prima conclusio. attributales Dei perfectiones, & personales proprietates sunt in eo formaliter, ceu bonitas, sapientia, potentia, pa-

ternitas, filiatio, & spiratio. Etenī quidquid est ipse Deus, formaliter est in Deo, atqui sapientia diuina est ipse Deus, & contra ipse Deus est sua sapientia, igitur sapientia Dei formaliter est in Deo. Maior est nota, minor patet ex diuinæ essentiae simplicitate, & immensitate, simplicitate quidem eius efficitur, vt nihil sit ei adiunctum, immensitate vero, vt omnia sibi identificet, & vnum efficiat.

*2. Cōclu.* Secunda conclusio. Omnia entia creata sunt in diuina essentia virtualiter, & eminenter. Virtualiter quidem, quoniam diuina essentia eas potest in esse producere, vnde cōtinentur in essentia, sicut effectus in sua causa, eminenter vero, quoniam omnes rerum creatarum perfectiones in vna diuinæ essentiae perfectione eisdem æquivalente continentur, quemadmodum in aureo nūmo continetur pretium centussis. Vnde quemadmodum verum est dicere, quod in aureo nūmo continetur cētussis, quia scilicet ibi eius pretium continetur eminentiori modo, sic etiā verum est dicere quod lapis est in Deo, quia scilicet ibi eius perfectio continetur eminentiori modo. Est etiā in Deo virtualiter, quia scilicet in Deo vis est, & potentia ad ipsum efficiendū. Vnde contineri in diuina essentia virtualiter, est aliud nihil quam in diuina potentia contineri, contineri autem in diuina potentia est Deum illud posse.

*3. Cōclu.* Tertia conclusio. Tam entia, quā non entia sunt in diuino intellectu, siue in diuina scientia. Probatio. Esse in diuina potētia nihil est aliud, quam Deum posse. Illud, igitur esse in diuino intellectu, est Deum illud intelligere, & esse in diuina scientia est Deum illud scire, sed Deus intelligit, & nouit tam entia, quā nō entia, vt patet ex ijs quæ docuimus, cum de obiecto diuinæ scientiæ ageremus, igitur omnia tam entia, quā non entia sunt in diuino intellectu, & in diuina scientia. Hoc etiam modo mala sunt in Deo, hoc est, in diuina scientia, & cognitione.

*Augusti.* Deus enim quemadmodū bonorū, sic etiā malorum est cognitor, ceterum, vt author est Aug. lib. 1. de prædestinatione sanctorū

cap. 10. Deus sic præsciuit bona, ut ipsa præparauerit, mala vero præsciuit solum, non præparauit.

Ac res creatas esse in Deo virtualiter, hoc est, in eius vi, & potentia contineri, Apostolus declarauit illis verbis epistolæ ad Rom. cap. 11. positus, ex ipso, inquit, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quibus verbis, diuo Ambrosio authore. 3. de Spiritu Sancto lib. cap. 12. vnum, & idem significatur, sed res esse ex ipso Deo, & per ipsum, nihil est aliud, eodem authore, quam Deū esse illarum causam effectricem, igitur esse in ipso idem significat, ac proinde creata omnia sunt in Deo virtualiter. Ex quo subinde efficitur, ut mala non sint in Deo, siquidem nō sint ex ipso, neq; per ipsum. Ita explicatum est id, quod erat suppositū, iam ad id, de quo quæritur, explicandum veniamus.

Pro quæ  
sito p. in  
cipali co  
clusio v.  
nica.

Pro cuius explicatione, hæc vnica statuitur conclusio. Res creatæ verius esse habent in Ideis diuinis, quā in se ipsis. Probatio conclusionis. Res creata in Deo, siue in Idea diuina, est ipsa creatrix essentia, ut docet diuus

Res crea.  
te vecis  
esse habet  
in Ideis  
diuinis,  
quā in se  
ipsis.

Anselmus Monologij cap. 5. sed verius existit creatrix essentia, quā creata essentia, igitur res creata verius esse habet in Deo, quā in se ipsa.

Præterea, mensura veritatis in rebus omnibus summā sibi vindicat veritatem, sed Ideales rerum rationes, & similitudines sunt mensura veritatis in rebus omnibus, summā igitur sibi veritatē vindicāt. Cū igitur res quæq; eo dicatur vera, quia exemplar suum imitatur, qd̄ est Idea, relinquatur igitur ut res creata verius esse habeat in Idea, quā in se ipsa.

Postremo, hoc ipsum autoritate Platōis confirmatur, is siquidem Ideam hominis, siue extra diuinam mentem existentē, ut interpretatus est Aristoteles, siue in diuina mente collocatam, ut verius interpretatus est Augustinus, ipsum hominem, siue per se hominem appellauit, quā dicendi forma declarauit, verius esse habere hominem in sua Idea, quam in se ipso. Igitur res creata verius existit in Deo, quam in se ipsa. Vide D. Thom. de verit. q. 4. ar. 6. & Eg. 1. Sent. d. 36. ar. 1. q. 3.

## REFUTATIO CONCLUS.

Secunda conclusio pertinens ad explicatōnem eius quod erat suppositū hoc argumento refutatur. Quo pacto affecta est potentia ad posse, & scientia ad scire, sic affecta est essentia ad esse, at res dicuntur esse in potentia Dei, quia Deus illas potest facere, & in scientia Dei, quia Deus illas scit, igitur & in ipsa Dei essentia dicuntur esse, quia Deus est res illæ, at Deus non est res ipsa creata, teu lapis, quemadmodū est bonitas, aut paternitas, res igitur creatæ nō sūt in Deo.

Tertiæ conclusioni etiam illud videtur aduersari, quod dicitur Math. 7. non noui vos. & illud etiam quod dicitur Psalmo. 16. de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Quæ verbum exponens Aug. abscondita, inquit, peccata sunt, quæ à lumine tuæ veritatis absconduntur: non sunt igitur omnia in diuino intellectu, siue in diuina scientia, & cognitione.

Porro quod attinet ad conclusionem vnicam, pro explicatione eius, de quo quæritur, ea multis argumentis improbat. Primū igitur sic improbat. Verius est aliquid vbi est per essentiam, quam vbi est per similitudinem, atqui res sunt in se ipsis per essentiam, in Ideis vero per similitudinem, verius igitur sunt res in se ipsis, quam in Deo.

Præterea, verius est id, quod est actu, & extra suam causam, quā qd̄ est potentia, & adhuc est in sua causa, atqui res in se ipsis sunt actu, suntq; extra suas causas, in diuinis autem Ideis sunt in potentia, & in suis causis, quemadmodum artificiata in animo artificis insident, & in ipsius arte continentur, verius igitur existunt in se ipsis, quam in diuinis Ideis.

Ad hæc, res prout sunt in se ipsis habent proprias operationes, quæ tamē nō habent, put sūt in Deo, verius igitur esse habent in se ipsis, quā in Deo. Cōsecutio firma est, siquidē extrema rei perfectio est sua actio, & operatio.

Potremo, ea duntaxat sunt inter se comparabilia, quæ sunt eiusdem rationis, atqui esse, quod res quæq; sibi vindicat in se ipsa non est eiusdem rationis cum eo, quod habet

De  
one  
tū v  
liter  
emi

A

be

bet in diuina Idea, non sunt igitur inter se comparabilia, ac proinde non potest congrue dici re creatam verius existere in Deo, quam in se ipsa.

DILVTIO ARGVMENTI

AD primum respondet Magister huius primi lib. 35. & 36. distinctione, res no sic esse in Deo, quasi creator sit creatura, sed qd sint in eius cognitiōe, & praesentia, id qd probat testimonio Augustini in libro de verbis Apostoli sermone 11. quo loco sic ait, Deus eligit, & habet electos, quos creaturus est eligendos, quos habuit apud semet ipsum non in natura sua, sed in praesentia. Objici cōtra potest, diuina sciētia, & diuina essentia sunt vnum, & idem, igitur si res creatę omnes sūt in diuina cognitione, sequitur vt sint in eius essentia. Negat consecutionem Magister, nanq; esse in Dei essentia, est esse eiusdem essentia cū illo, esse vero in cognitione Dei, siue in scientia Dei, est Deum scire illud, cū igitur Deus sciat res, non autem sic ipsa res creata, sequitur vt res dicantur esse in Dei scientia, non autem in Dei essentia. Quantum ergo essentia, & potentia in Deo sint vnum & idem, propter diuersam tamen habitudinem connotatam, aliqua sunt in Dei potentia, & scientia, quę tamen non dicuntur esse in eius essentia, vt disertissime annotauit Egid. loco supra citato.

Quoniam vero essentia, scientia, & potentia sunt ipse Deus, omnes res creatę in Deo esse dicuntur, non quia Deus sit illa res creata, sed quia in eius scientia, & potentia continentur. Dicit etiam possunt esse in diuina essentia virtualiter, & eminenter, quemadmodū demonstratū est in secūda assertione.

Ad argumentum vero contra tertiam cōclusionem respondet Magister distinctione 36. cap. 2. Duplicem esse Dei cognitionem, vnam, quę est simplex rei notitia, alteram, quę est cum approbatione, & beneplacito, Deus igitur improbos, & ipsorum malitiā, & peccata nouit simplici notitia, non autē per approbationē, & beneplacitum. Perinde est enim dicere, nō noui vos, atq; dicere, nō approbo vos, neq; cōplacet mihi in vobis, sub

quo sensu peccata hominū sunt etiā Deo abscondita, hoc est, ei nō pbata, nec placita. At bona Deo vtroq; modo noscit, & simplici notitia, & notitia approbatiōis, & beneplaciti.

Deus nō nouit mala sciētia approbationis.

Porro ad argumenta, quibus ostēditur res creatas verius in se ipsis existere, quā in Deo, facile respondetur. Ad primum igitur respondetur iuxta doctrinā D. Thomę de verit. q. 4. art. 6. illud, verius, posse declarare aut veritatē prædicationis, aut veritatē rei. Ac hoc posteriore modo verius res quęq; habet esse in verbo Dei, siue in Deo, siue in diuina Idea, quā in se ipsa, siquidē diuina essētia est ipsa veritas, & mensura veritatis in rebus omnibus. At priore modo contra res habet. Verius enim prædicatur homo de re, prout est in propria natura, quā prout est in Deo, id qd non puenit ex diuinę essentia imperfectione, sed ex ipsius sublimi, & incomprehensibili super omnia eminentia. Etenim quāuis omnia à sole calefiant, non tamen dicitur calidus propter ipsius excellentiā, & eminentiā. Ad formā igitur argumenti respondēdo, dicitur ad maiore illā esse veram, quoad veritatē prædicationis, sic enim verius res quęq; ibi est, vbi est per essentiā, quā per similitudinē. Nō tamen est vera quoad veritatē rei, si modo similitudo sit causa rei, non autē causata à re. Sic enim verius est vbi est per similitudinē, quę est causare rei, quā vbi est per essētiā, & naturam.

Ad 3.

Ad secundū respondetur potentiā actiuā esse pfectiore, quā sit actualitas, quę est eius effectus. Cū igitur hoc modo creaturę sint potentia in Deo, relinquitur, ut verius, & pfectius esse habeant in Deo, siue in potentia actiua Dei, quā in se ipsis, & in proprijs actualitatibus.

Ad 4.

Ad tertiū respondetur, qd quāuis res creatę in Deo nō habeant operationes pprias, habent tamen operationes præstatiores, & nobiliores, quatenus sunt effectiua, cum rerum ipsarum, tum operationum earundem rerum. Etenim creaturę, prout sunt in diuinis Ideis, sunt creatrices essentia, non creatę, quę ad modū domus interna in mēte in sidēs artificis est effectiua domus externę.

Ad 5.

Deus est  
ōne crea-  
tū virtua-  
liter, &  
eminēter

Ad 2.

ad 6.

Ad quartum respondetur, quod quanuis esserum creatarum in Ideis, & in se ipsis non sit eiusdem rationis secundum vniuocationem, est tamen eiusdem rationis secundum analogiam.

**QVÆSTIO. 7.**

*Vtrū res creatæ õnes in Deo, sint vita?*



**D**abitandicausam attulere verba Magistri posita distinct. 36. dicentis esse in Deo res creatas nihilesse aliud, quā esse in eius præsentia, & cognitione, cumq; Deus multa cognoscat, quæ non viuunt, vt inanimata omnia, relinquuntur non omnes res creatas in Deo esse vitam, aut viuere. Cui tamen assertioni refragatur diuinæ scripturæ authoritas Ioan. 1. quo loco dicitur, quod factum est in ipso vita erat.

Pro explicatione quæstionis notandum est, quod quanuis essentia diuina, scientia, & potentia sint vna res, differunt tamen ratione penes diuersas habitudines. Namq; essentia diuina sub ratione scientiæ importat habitudinem ad res scitas per modum habitus ad obiectum, quemadmodum essentia diuina sub ratione potentiæ importat habitudinem ad res producibiles per modum potentiæ actiuæ ad ea quæ sunt obiecta illi potentiæ. At essentia diuina vt sic, solum significat per modū formæ existentis. Subijciuntur ergo aliquot conclusiones.

1. Cōclu.

Prima conclusio. Non omnia quæ sunt in scientia Dei sunt vita, aut viuentia. Etenim multa non viuentia sunt obiecta diuinæ scientiæ, ad eundem etiam modum, multa non viuentia sunt obiecta potentiæ Dei, ac proinde non omnia, quæ sunt in scientia, & potentia Dei sunt viuentia.

2. Cōclu.

Secunda cōclusio. Omnia creatæ, vel creabilia, quæ sunt in Diuinis Ideis, sunt vita, & viuentia, Etenim Ideæ in Deo sunt vita increata, vt author est august. Sexto de Trin. cap. 10. quo loco, inquit, verbum Dei

esse plenum rationum viuentium, at qui ea, quorum rationes viuunt in Deo, sūt in Deo vita, igitur õnia creatæ, & creabilia, quæ sunt in diuinis Ideis, sunt vita, & viuentia.

Ac sub hoc sensu accipienda sunt illa Ioan. 3. Cōclu. nis verba, quod factum est, in ipso vita erat, intellige, quoad Ideam rei factæ. Sub hoc etiam sensu accipienda sunt illa Augustini verba. q. 26. ad Orosium, nempe quod õnia quæ facta sunt, & vitā nō habēt, in ipso verbo Dei vita sunt, tametsi in se ipsis vita nō sint.

Tertia conclusio. Quæcunq; entia sunt in scientia, & potentia Dei, prout scientia, & potentia sunt idem realiter, quod essentia, sunt in Deo vita increata: vt pote quia vt sit, sūt idē, quod Deus. Ac de Ideis diuinis hætenus.

**DE EXISTENTIA DEI**  
in rebus.

**QVÆSTIO. 1.**

*Vtrum Deus sit in omnibus rebus?*



**D**ætenuis disputatū est de existentia rerum in Deo, quam res ipsæ habent interuentu diuinæ scientiæ, & rationū Idealiū, consequens est, vt differamus de existentia Dei in rebus ipsis iam procreatis, & in esse productis. Quam rem alioqui intellectu, & explicatu difficilē magister suscipit explicandam huius libri primi distinctione 37. in cuius rei accuratā explicationem, & nos quoq; incumbemus maiorum vestigia secuti.

Catholica igitur veritas est, Deū rebus omnibus adesse præsentem, dicitur enim sapientia 8. de sapientia increata, attingit à fine vsq; ad finem, & disponit omnia suauiter. Item Psal. 134. diuinus vates sic canit. Si ascēdero in cælum, tu illic es: si descēdero in infernū ades. Si sumpsero penas eā diluculo, & habitauero in extremis maris, Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Item Hier. 23. dicitur. Cælum & terram ego impleo.

Deū rebus omnibus adesse præsentem catholicam veritatem est.

Hæc

In diuinis Ideis õnia sūt vita.

Hæc porro veritas catholica Physicis rationibus, & argumētis à Theologis nostris confirmatur. 1. Sent. d. 37. Item à D. Thom. 1. p. q. 8. ar. 1. & 3. contra Gent. cap. 68.

*Esse est proprius & immediatus effectus Dei.*  
 Ac prima, & potissima ratio sumitur ex proprio effectu Dei in rebus, quod ipsum est esse. Quocirca sic argumentatur D. Thom. locis supra citatis. Esse est proprius effectus Dei, non solum quoad fieri, id est, cum primum res esse incipiunt, verum etiã quoad conseruari, id est, quandiu manent, & habent esse, veluti lumen receptum in aere causatur à sole, quandiu aer manet illuminatus: At omne agens oportet coniungi ei in quod agit immediatè, vt author est Arist. 7. Physicorũ, quo loco docet oportere, vt mouens, & id quod mouetur sint simul, Deus igitur adest continuo omnibus rebus creatis, non vt pars essentia, aut vt accidens, sed vt agens immediatum dans esse. Et quoniam esse est formale respectu omnium, est siquidem actualitas omnis rei, fit vt esse profundius, & intimius iacet in omnibus, ac proinde præpotens Deus non solum sit in rebus omnibus, verum etiam intime sit in illis, vt pote quia adsit omnibus, vt causa essendi.

*Origines*  
 Porro quod esse sit proprius, & immediatus effectus Dei, ostenditur in hunc modum. Deus est ipsum esse per essentiam, atqui ab eo, quod est tale per essentiam, deriuatur omne illud quod est tale participatione quadã, reliquitur igitur vt omne esse ab ipso Deo proficiscatur, ac proinde esse in rebus omnibus sit proprius Dei effectus, non solum quoad fieri, verum etiam quoad conseruari. Vnde Origines explanans illa verba apud Ioannem cap. 1. sine ipso factum est nihil, sic ait, Nihil fieri dicitur extra Deum, quia res non solum indigent Deo authore, verum etiam conseruatore. Id quod etiam testatur D. Dionysius commentarij de Diuinis nominibus cap. 5. inquit, in Deo esse omne esse, & omnis esse ipsum esse sustentatorem, atq; conseruatorem. Quibus verbis insinuat magnus ille Dionysius, & omnia esse in

Deo, & ipsum esse in omnibus. Sunt quidem omnia in Deo, tanquam effecta in sua causa, est autem ipse in omnibus tanquam suorum effectuum conseruator. Hac de re vide Anselmum Monologij cap. 12.

*Anselm*  
 Secunda ratio sumitur ex Dei ipsius immensitate, qua efficitur, vt nullo extremo finiatur, neq; vlllo loco circumscribatur. Quocirca. 1. Sent. d. 37. art. 1. q. 1. Sic argumentatur Egidius. Deus est immensus, & infinitus, igitur Deus præsens adest rebus omnibus, & locis omnibus. Consecutio probatur. Nam si aliqua creatura esset in qua Deus non esset, vel aliquis locus esset, cui Deus non adesset, proculdubio Deus non esset infinitus, & immensus, vt pote quia non impleret omnia, id quod repugnat infinito. Etenim si infinitum magnitudine actu esset, proculdubio omnia loca occuparet, igitur infinitum virtute, & essentia, proculdubio attingit, & complet omnia. Vnde diuus Anselmus Monologij 13 cap. ex Dei hac immensitate ipsius in omnibus presentiam arguta argumentatione collegit, in hunc modum. Quod si ita est, nempe quod omnia per Deum vigeant, & conseruentur, consequitur, vt vbi Deus non est, nihil sit, vbiq; igitur est, & per omnia, & in omnibus. Absurdum est enim vt aliquod creatum possit exire creantis, & fouentis immensitatem.

*Egidius*  
 Tertia ratio sumitur ex diuina immaterialitate, & incorporeitate, qua efficitur vt Deus ibi sit, vbi operatur. Etenim res corporeæ, & materiae concretæ, tametsi præsentibus rebus ijs existant, in quas actiones suas eliciunt, & exercent, in ijs tamen non existunt: vt pote quia per quantitatem certo loco definiuntur: At res incorporeæ, & immateriales cum nulla quantitate finiantur, sic in rebus operantur, vt sint in illis, imo vero vt author est Damascenus primo de fide Orthodoxa libro cap. 16. & 17. Substantiam incorporeã esse alicubi, est ipsam ibi operari, cum igitur Deus in omnibus, & rebus, & locis operetur dans esse, vt patet ex prima ratione, sequitur omnino, vt sit in rebus omnibus, & locis omnibus præsens adsit.

**Augstinus** Quarta ratio sumitur ex diuinæ naturæ summa simplicitate. Nam, vt author est Augustinus, 1. de Trini, cap. 10. Deus est quicquid habet, Atqui Deus virtutem habet, & potentiam, est igitur sua virtus, & sua potentia, vbi cunq; igitur est eius virtus, & potentia, ibi & ipsemet sit necesse est, atqui vis & potentia in rebus omnibus cernitur, quatenus immediate in ipsas agit conseruando, & cum ipsis ad operandum concurrēdo, igitur Deus in omnibus est rebus.

Hanc eandem verissimam sententiā, & assertionem confirmant sanctorum patrū, Augustini, Hilarij, Ambrosij, & Gregorij testimonia, quæ Magister hac in distinctione attulit.

## REFUTATIO CATHOLICÆ

Conclusionis.

**Argu. 1.** Principio contra existentiam Dei in rebus sic licet argumentari. Deus ponitur esse in rebus per operationem, aut igitur per operationem mediatam, hoc est, mediantibus causis secundis exercitam, aut immediatam, atqui ex neutra efficaciter cōcluditur existentia Dei in rebus: igitur Deus nō existit in rebus. Minor ostenditur quoad priorē partem. Nāq; quod operatur, altero coagente, non est immediatū ei in quod agit, immediatum in quā immediatione suppositi, & consequens neq; secundū substantiā, ac proinde non est in illo, igitur ex mediata Dei actione non conficitur eiusdem Dei præsentia in rebus.

Neq; tidē hoc efficitur ex immediata ipsius actione, siue attinctione, tum quia si Deus esset in aliquo situ, ad huc posset aliquid immediatē producere in aliqua distantia, vt potē quia esset agens infinitæ virtutis, igitur ex immediata attinctione, siue productione non necessario efficitur præsentia Dei in rebus secundum se ipsum, siue secundum substantiam. Nam data hypothēsi Deus producit immediatē, & tamen non est præsens effectui secundum se ipsum.

Tum quia ex priorē non necessario cōcluditur id quod posterius est, sed præsentia

Dei secundū potentiam est prior præsentia Dei secundū substantiam, etenim prius natura creatura terminat actum diuinæ potētiae, quā sit ei præsens, igitur posita illa nō necessario ponitur ista. Minus ergo bene ex eo quia Deus est vbiq; secundum potentiam, colligitur ipsum esse vbiq; secundū essentiā.

Scotus, 1. d. 37. q. Vnica.

Præterea agens creatum agit, vbi non est secundum suam substantiam præsens. Etenim Sol in terræ visceribus generat mistum, cuius quidem generationis immediatum & proximum principium est ipsa solis substantia, quippe cū antecedens quidq; ceu lumen, aut aliquid aliud non possit esse principium substantiæ, & tamen Sol non est ibi secundū substantiam, siue secundum præsentia suppositalem, igitur multo magis Deus agere potest, vbi non est, vt pote quia sit omnipotens, & virtutis infinitæ. Et confirmatur quia quanto agens est virtuosius, tanto ad magis distans eius vis, & actio pertingit, Atqui Deus est agens virtuosissimū, igitur eius vis, & actio ad ea etiam pertingit, quæ distāt maximē, non necesse est igitur vt sit in omnibus secundum substantiam, ac proinde ex ipsius virtuali contactu non infertur necessario præsentia eiusdem secundum substantiā. Scotus loco supra citato.

Præterea Deus est agens præstantissimū, atq; nobilissimū, igitur agit sine sui præsentia. Consecutio probatur, si quidem præstantius & nobilius est agens quod agit sine sui præsentia, quam illud quod agere non pot, nisi præsens adsit, argumento sunt reges, & principes, qui ex eo nobiliores habentur, quia verbo solo, & imperio, non itidem præsentibus operantur.

Præterea, cum Deus ponatur esse in rebus per actionem, sit oportet in rebus sicut causa, cumq; Deus non sit causa rerum nisi triplici genere causæ, nempe efficientis, finalis, & formalis, sequitur vt sit in rebus interuētū causalitatis efficiētis, aut finalis, aut formalis, nō interuētū causalitatis efficiētis, si quidē efficiēs est rei eius quā facit causa extrinseca, neq; operis sui cōstitutionē ingreditur, neq; etiam

etiam interuentu causalitatis finalis, siquidē Deus non est finis internus, sed externus. Nāq; finis internus est forma actuans materiam, id quod conuenire Deo non pōt, neq; postremo est in rebus interuentu causalitatis formalis, quandoquidem non sit forma inherens, sed exemplaris, iam autem exemplaris forma non est in eo, cuius est forma, igitur &c.

Præterea perfectissimum agens producit perfectissimum effectum, sed in effectis illud effectum est perfectius quod per se conseruari potest absente sua causa, quā quod non potest conseruari, igitur Deus cū sit perfectissimū agens videtur quod rebus à se cōditis cōtulerit, quod possint absente sua causa conseruari in esse. Ita ad rerum conseruationē non illud requiritur, vt Deus sit in ipsis secundū substantiam.

Postremo, quisnam est ille modus quo Deus dicitur esse in rebus? neq; enim incurrit in aliquem eorum, quos Arist. exposuit, ac recēsit. 4. Phy. neq; enim est in rebus sicut, genus in speciebus, neq; sicut totum in partibus. Nāq; totū est eiusdem naturæ cum suis partibus, quemadmodum & genus cum suis speciebus. Neq; sicut forma in materia, neq; sicut accidens in re subiecta, nēpe quia forma siue accidentaria siue substantialis modo aliquo depēdeat. Neq; sicut regnum in Rege, Nā hoc modo res potius sunt in Deo, quam Deus in rebus, Neq; sicut res in suo fine, quandoquidem cum Deus sit optimum quiddam in entibus, nihil est, aut esse potest finis eius. Neq; postremo Deus est in rebus sicut locatum in loco, Nam quæ loco continentur, eidem loco cōmensurātur, at Deus propter suam immensitatem est rebus incōmensurabilis, cum igitur neq; sit, neq; fingi animo possit aliquis alius modus existendi in rebus, nullus autem prædictorū summo Deo competat, efficitur vt Deus non sit in rebus.

DILVTIO ARGVMENTORVM.

Ad. r. Primum igitur argumentū diluitur negatione minoris, quoad illam partem, nē

pe quod ex immediata Dei actione non cōcludatur efficaciter præsentia Dei in rebus secundū se ipsum. Pro cuius explicatione sūt nonnulla prænotanda.

Principio illud volumus esse annotatū, nempe inter agens, & patiens necessario debere intercedere contactū virtualem, Nāq; agens vi sua attingere ipsum passum, nihil est aliud, quam ipsum agens actionem suā in passum explicare, igitur impossibile est aliquid agere in passum, quin illud virtute sua contingat.

Secundo præponimus, agens virtute sua passum contingere bifariam, vno modo immediate, altero vero mediate, illud agens attingit passum mediate, quod actionē suā explicat in passum aliquo mediate vim suā ad passum deferente, illud vero immediate, quod vim suā immittit in passum nullo mediante, quod eius vim deferat ad passum. Hoc modo manus mouet baculum, priore vero eadem manus mouet lapidem, baculo deferente vim manus ad lapidem.

Attingere passū immediate quid sit.

Tertio sumimus cū immediationē virtutis omnino coniunctam esse immediationē secundum substantiam, vt scilicet agens immediate attingens passum, sit etiam eidem præsens secundum substantiam. Nam quemadmodū se habet in contactu quantitatio, & Mathematico, eodem modo se habet in contactu virtuali, At in contactu quantitatio, & Mathematico vnum non potest alterum immediate contingere, nisi substantia eius sit immediata, igitur in contactu virtuali fieri nō potest, vt agens attingat passū immediate, hoc est, nullo mediante quod vim eius ad passum deferat, quin eius substantia ei sit immediata, proinde cū immediatione virtutis omnino coniuncta est immediatio secundū substantiam. Interest tamē inter immediationem substantiæ in contactu quantitatio, & in contactu virtuali. Nā in contactu quantitatio, immediatio secundū substantiam attenditur secundum situm, ita scilicet vt inter duas substantias situatas, non mediet altera substantia situata, At in contactu virtuali immediatio substantiæ

Cū immediatione virtutis coniuncta est immediatio secundū substantiam.

atten-

attenditur secundum actionem, ut scilicet inter agens & patiens non mediet aliud agens, à quo eodem ipsum etiam patiens actuetur. Et hæc immediatio dici consuevit immediatio causalitatis, siue immediatio suppositi coagentis.

Quarto sumimus immediatam attinentionem secundum virtutem esse causam, & rationem presentialitatis secundum substantiam. Nam quemadmodum se habet in contactu Mathematico, eodem prorsus modo se habet in contactu virtuali, atqui in contactu Mathematico immediatio quantitatum est ratio immediationis situalis substantiarum, igitur immediatio actionis in contactu virtuali est ratio immediationis secundum substantiam. Ex his in hunc modum constitutis, & explicatis iam perspicitur & intelligi potest ex immediatione virtutis, & actionis efficaciter concludi immediationem agentis secundum substantiam. Id vero sic confirmatur. Ex ratione sufficienter concluditur id, cuius est ratio, quemadmodum ex definitione concluditur definitum, At immediatio agentis secundum virtutem, siue presentia agentis secundum potentiam immediate attingentem effectum, est ratio immediationis siue presentia ipsius agentis secundum substantiam, ut patet ex superiori notabili, igitur ex immediata actione, siue attinentione virtutis efficaciter, ac necessario concluditur immediatio, siue presentia agentis secundum substantiam.

Hinc iam patet aduersariorum argumentorum explicatio. Ad primum igitur Scoti respondendo, negatur illa conditionalis, quoniam ex illa non solum sequitur illud, verum etiam eius contradictorium, ac proinde neutrum sequitur. Nam si Deus esset in aliquo situ determinato, sequitur ipsum agere posse immediate in quodlibet distans, ob id scilicet quia esset omnipotens. Sequitur etiam ut non possit, siquidem ea sit natura agentis obtinentis situm, ut non possit agere in distans, nisi mediante receptivo proximo deferente vim eius ad passum, ac proinde prius necesse habeat agere in propinquum, quam in distans. Id quod prouenit ex conditione cor-

poræ virtutis, quæ cum sit materialis, & recepta in quanto, non potest corpus aliquod immediate attingere, nisi illa se corpora immediate attigant contactu Mathematico, Ex quo sequitur necessario, ut agens situm obtinens non possit agere in rem secundum situm distantem, nisi mediante propinquiore vim deferente. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 68.

Ad alterum respondetur ex priore non necessario colligi posterius, quando illa sunt omnino diuersa, & vnum non est ratio alterius: iam autem non sic se habent presentia secundum virtutem immediate attingentem effectum, & presentia secundum se ipsum, siue secundum substantiam, namque se se mutuo concomitantur, & illa prior presentia est ratio, & causa posterioris. Etenim quemadmodum substantia situata interuentu situs efficitur presentis alteri substantiæ, ita etiam substantia spiritalis, & incorporea efficitur presentis secundum substantiam interuentu immediatæ attinentionis secundum virtutem, ut patet ex 4. Notabili. Ferrar. loco supra citato.

Ad secundum conceditur agens finitum & limitatum agere vbi non est, non tamen immediate, sed mediante propinquiore vim eius ad passum distans perferente. Ac hoc modo sol agit in visceribus terræ intercedente scilicet aere, quem ipsum illuminando afficit, vel quouis alio modo in ipsum in fluendo, aer vero sic affectus perferit vim solis ad viscera terræ, in quibus gignuntur ea, quæ mista imperfecta appellari consueverunt. Qualitas vero, siue quodlibet aliud agens ut non possit generare substantiam tanquam agens principale, potest tamen illud efficere, ut instrumentum substantiæ. Sic calor naturalis ut instrumentum animæ generat carnem.

Ad confirmationem vero varie respondetur iuxta variam Maioris propositionis explanationem. Nam si sermo est de distantia situali, partim vera est illa propositio, partim falsa, vera quidem est de agente corporeo, & sitabili. Nam hoc agens quanto virtuosius est, tanto eius virtus ad distantius protenditur. Est autem falsa de agente in communi, siquidem est

Ad 2.  
Agens finitum agit vbi non est, mediante propinquiore vim suam deferente ad passum.

Ad confirmationem

Agens immittitur, autem immediatione virtutis, & immediatione presentia



est aliquod agens, nempe Deus, à quo nihil distat secundum localem situm, ut qui nō sit situabilis.

Sin vero sermo est de distantia virtuali, quae importat mediationem virtutis, vel potius emendicationē virtutis, propositio etiā falsa est, nā quanto agens est virtuosius, tāto est superius, quāto vero superius, tāto est virtute propinquius, & immediatius, ac p̄inde effectus ab eo est virtualiter indistantior.

Agens dicitur immediatum, aut immediatione virtutis, aut immediatione suppositi.

Hoc vero ut melius intelligatur notandum est, duplicem esse immediationem, scilicet immediationem virtutis, & immediationem suppositi, ex quo fit ut agens dicatur immediatum aut immediatione virtutis, aut immediatione suppositi, illud agens dicitur immediatum immediatione virtutis, cuius virtus attingit effectum non emendicando ab aliqua virtute superiori talē attentionem. Ex quo intelligitur quod quanto agens est superius, tanto est secundū virtutē immediatius, ac proinde effectus ab eo virtualiter indistantior, hoc est, ab ipsius virtute indistantior. Illud vero agens dicitur immediatum immediatione suppositi, quādo inter suppositum agens, & effectum, nullum aliud suppositum coagens, & illi subordinatum intercedit mediū. Ex quo iam intelligitur, quod quanto agens est inferius, tanto est immediatius immediatione suppositi, secus vero quanto superius. Cum igitur Deus sit in rebus ut agens immediatum, utraq; immediatione est rebus immediatum, & immediatione virtutis, ut qui & vī agendi ab alio minime accipiat, & virtute sua immediate attingat passum, in quod agit, siue medium aliquod intercedat, siue non intercedat, & immediatione suppositi, ut qui aliā causam mediam coeffectricem, & concausantem excludat, id quod infra declarabitur.

Quocirca si sermo est in illa propositione de distantia suppositali, propositio etiam verissima est, nam quanto agens est virtuosius, tanto magis eius vis, & actio ad distantia suppositaliter se extēdit. Vnde Deus qui est agens virtuosissimum posset per infinita media, siue supposita coagentia formam

naturalem educere.

Ceterum illud est magnopere aduertendum, distare aliquid suppositaliter à Deo posse duobus modis intelligi, vno modo secundum se totum, altero modo secundū aliquid sui. Priori modo impossibile est aliquid distare suppositaliter à Deo, quoniam in qualibet substantia oportet esse aliquid productum, & continue à Deo conseruatū immediate, immediatione suppositi, id quod ad maximam Dei virtutem pertinet, ut scilicet nihil à Deo secundum se totum possit suppositaliter distare. Quocirca si de distantia suppositali totali sermo est, propositio illa est omnino falsa, sin vero de distantia suppositali, quoad aliquid, est vera.

Ad formam igitur argumenti respondetur concedēdo, vim diuinā posse ad ea etiā quae maxime distant, non quidem distantia locali, aut virtuali, sed suppositali pertingere, non tamen iam inde concluditur, non esse necessarium ut Deus sit in rebus omnibus, quandoquidē in omni subsistente oportet esse aliquid productum, & conseruatum à Deo immediate immediatione suppositi. Ita Deus est in omnibus rebus necessario immediate, & immediatione virtutis, & immediatione suppositi. Vide Caiet. 1. p. q. 8. Ferrariensem. 3. Contra Gent. cap. 68. Syl. in conflato. q. 8. ar. 1.

Et notandum, Scotum non negare Deū esse rebus omnibus praesentem, non solum praesentia virtutis, verum etiam praesentia substantiae, nam hoc negare esset impium, sed negare ex Dei omnipotentia, per quam attingit omnia, sufficienter & necessario in ferri eius immensitatem. Quae tamen Scoti opinio multa implicat contradictoria. In primis cum Deus sit summē simplex, ac proinde sit sua vis, & sua potentia, dicere esse alicubi Dei potentiam, vbi non sit eius essentia, pugnat quam maxime. Deinde cū Deus sit causa omnium suprema, ac proinde immediatissima immediatione virtutis, dicere Deum aliquid, vel alicubi operari vbi nō sit ipsius virtus, pugnat vehementissimē. Postremo illud omnium maxime repugnat Deū

Deus est in omnibus rebus immediate cū immediatione virtutis, tū immediatione suppositi.

Nota.

vbi est Dei virtus ibi sua substantia

collo-

collocare in aliquo determinato situ, nam cum Deus sit immensus, & infinitus, nō est arctabilis ad aliquem determinatum locū, non solum re vera, sed neq; animi cogitatione, & fictione quidem.

obiecto. Objici tamen adhuc contra potest, quāto agens est superius, tanto est immediatius im-  
mediatione virtutis, mediatus vero media-  
tiōe suppositi, atqui Deus est supremū agēs,  
igitur est immediatissimū immedatiōe vir-  
tutis, mediatissimum vero mediatione sup-  
positi, ac proinde non est in rebus immedia-  
te immedatione suppositi. Minor est nota,  
maior vero pater ex prenotatis.

De omniū  
& quoad  
omnia est cau-  
sa immed-  
iata im-  
mediatio-  
ne virtu-  
tis, imme-  
diatione  
vero sup-  
positi est  
causa omni-  
um, & nō  
quoad  
omnia.

Respondet Caietanus loco supra citato,  
Deum esse efficientem causam omnium,  
& quoad omnia quæ requiruntur ad esse rei,  
immediate immedatione virtutis. Caterū  
immedatione suppositi licet si causa omni-  
um, non tamen quoad omnia. Nam in en-  
tibus materialibus licet Deus se solo pcreet,  
& continuè conseruet materiam, se solo ta-  
men non efficit formam, sed mediantibus  
causis secundis eidem subordinatis. Vnde  
in quolibet subsistente est aliquid productū,  
& cōtinuè cōseruatū à Deo immedate immeda-  
tione suppositi, in substantijs quidem mate-  
rialibus substantia materiæ, in substantijs  
vero immaterialibus ipsamet substātia, quā  
Deus se solo creat, & conseruat.

Cum igitur sit necessarium, vt disertè ar-  
gumētatur D. Thomas. 3. Contra gent. cap.  
68. vt causa agens sit cum suo effectu proxi-  
mo, & immediato, in qualibet autem re sit  
aliquis effectus pximus, & immediatus ipsi-  
us Dei, in substantijs quidem materialibus  
substantia materiæ, in immaterialibus vero  
ipsa met simplex essentia, relinquatur vt De-  
us necessario sit in rebus omnibus.

Vt autē cō-  
seruatio  
materiæ  
sit imme-  
diate a  
Deo.

Hoc loco existit magna dubitatio, nam vi-  
detur quod cōseruatio materiæ nō sit esse-  
ctus immediatus ipsius Dei. Id quod sic ostē-  
ditur. Deus conseruat materiam mediante  
forma, igitur non se solo cōseruat materiā,  
ac proinde saltem in rebus corporeis, & ma-  
terialibus non est immedate immedatiōe  
suppositi, siquidem inter ipsum, & patiens

datur aliud agens, à quo ipsum etiā patiens  
actuetur, primo agenti subordinatum.

Respondetur, formā concurrere illā qui-  
dem ad conseruationem materiæ, formaliter  
tamen, vt quæ ei præbeat actū formale,  
non effectiue, siquidem materia ex se sit ens  
actu actualitate propriæ entitatis. Ita Deus  
conseruat materiam mediante forma for-  
maliter, non effectiue, se solo autē conseruat  
effectiue. Nam quemadmodū Deus solus  
est causa essendi ipsi materiæ, ita etiam solus  
eam conseruat in esse propriæ entitatis. Ita  
Deus mediante forma cōseruat materiam  
in actu formali, at in actu propriæ entitatis  
se solo ipsam conseruat.

Respondeo

Si dicas, Deus conseruat totum composi-  
tum physicum mediante aeris dispositione,  
igitur & quam libet sui partem, distinguen-  
dum est, nam Deus conseruat materiam &  
formam prout componunt totum physicū,  
mediante aeris dispositione, nō tamē seorsū,  
& secundum se: ita materiam, vt componit  
totum, conseruat Deus mediante ea disposi-  
tione, qua conseruat totum, seorsum vero  
conseruat eam se solo.

Ad tertium argumentū respondetur, non  
arguere ignobilitatem, aut defectum virtutis  
quod Deus non agat nisi præsens presentia  
suppositali, imo vero maximā virtutis, & no-  
bilitatis excellentiam. Id siquidem prouenit  
non ex impotentia, sed ex repugnātia natu-  
ræ, nāq; Deus nō pōt nō agere immedate im-  
mediatione virtutis, id siquidem competit pri-  
mo & supremo agenti, qui modus causandi  
est præsentissimus, & virtuosissimus, ac pro-  
inde nō pōt nō agere vt præsens presentia  
causali, siue suppositali, siue substantiali, quæ  
necessario insertur ex immedata attinētio-  
ne: vti iam exposuimus. Caterum agentia  
creata ea, quæ in absentia causant, sunt cau-  
sa mediata, & remota effectuum, non pro-  
xima & immedata. Rex enim imperans  
& precipiens est causa effectus mediata, &  
remotior, ipse autē qui eius exequitur impe-  
riū est causa proxima, & immedata. Sic etiā  
solis substantia eorum quæ in intimis terræ  
visceribus gignuntur, est causa remotior, &  
me-

Ad 3.  
Agere vt  
præsens  
presentia  
supposit-  
ali argu-  
it in Deo  
virtutem  
maximā,  
& nobili-  
tatem.

mediata, at dispositio aeris cōiūcti ipsi passo à sole profecta est causa proxima, & immediata.

Ad 4. Ad quartum doctissimus Egidius respondet, extrinsecum aliquid dici duobus modis, vno modo illud quod non ingreditur cōstitutionem rei, tanquam principium constitutum, altero modo illud quod non est causa essendi ipsi rei, eamque minime conseruat in esse. Ac priore quidem modo Deus est causa extrinseca rerum, estque extra res ipsas, ut pote quia non sit pars constitutiva rerum, posteriore vero modo Deus non est extra res, imo vero in ipsis, tanquam causa ipsarum rerum immediatissima, cumque sua virtus sit idem quod ipse, sequitur ut Deus non solum sit rebus immediatissimus, & cōiunctissimus, sed multo immediatior, multoque coniunctior, & intimior, quam res sunt sibi ipsis.

Deus est intimior rebus, quam res sibi ipsis.

Ad 5. Ad quintum respondetur, nullum esse effectum quod non indigeat aliqua causa ad sui conseruationem. Etenim eo ipso quo effectus est, existere non potest sine conseruante. Ex quo subinde efficitur ut non pertineat ad nobilitatem, & perfectionem agentis hoc facere, nempe quod effectus conseruetur se ipso, neque requirat causam conseruantem. Nam quod non cadit sub potentiam, nobilitatem potentiae minime cōmendat, siquidem nobilitas potentiae supponat potentiam.

Notandum est hoc loco, causam illam sine qua effectus non potest existere esse causam rei in essendo, eam vero sine qua potest existere esse causam rei in fieri, cumque esse sit prestantius quam fieri, sequitur ut causa que est causa essendi sit prestantior, quam causa que est causa rei in fieri, cumque Deus sit causa ipsius esse in rebus omnibus, est siquidem esse proprius effectus Dei, sequitur ut non solum Deus sit causa prestantissima, verum etiam sine eo non possint res omnes conseruari. Unde ad Hebræos primo, est a Paulo dictum, portans omnia verbo virtutis sue, portans, hoc est, sustinens, & cōseruans vi sua vniversa.

Ad 6. Ad sextum respondetur, Deum esse in rebus, quomodo Rex est in regno, est autem Rex in regno non solum localiter, sic enim

omnes qui sunt in regno, in regno sunt, sed tanquam gubernans, tuens, & conseruans ipsum, quemadmodum regnum est in rege tanquam in conseruante, & gubernante. Ex quo iam efficitur ut modus esse in, quo rex est in regno, non differat re ipsa ab illo, quo regnum est in rege, quemadmodum gubernare, & gubernari, conseruare, & conseruari non differunt, nisi sicut via qua ab Athenis pergitur ad Thebas, & contra à Thebis ad Athenas. Iam autem Aristoteles modos inexistendi eos solum recensuit, qui non ponent in numero cum altero.

QVÆSTIO. 2.

Vtrum esse sit proprius effectus Dei?



Voniam multis superioris quæstionis locis inculcavimus, esse rei cuiusque soli Deo tanquam authori attribui, hoc iam adducitur in quæstio-

nem. Hæc igitur propositio, esse est proprius effectus Dei, quam ponit D. Thom. 1. p. q. 8. ar. 1. Item q. 48. ar. 5. & 2. Contra gent. cap. 21. & 3. cap. 66. ponit etiam Egidius. 1. d. 37. ar. 1. q. 1. quadruplicem habet sensum. Primus sensus est, esse à solo Deo causatur in rebus, ita scilicet ut cetera agentia non efficiant esse, sed perfectiones superadditas ipsi esse, & sub hoc sensu propositio illa falsa est, cumque sub hoc sensu ab Scoto fuerit intellecta, merito est ab eo 4. Sent. d. 1. q. 1. refutata. Cæterum non est hic D. Thomæ, & Egidij sensus, ut alibi patebit.

Esse est effectus Dei, quadruplicem habet sensum.

Secundus sensus est, esse est proprius effectus Dei, id est, esse est formale & adequatum diuinæ potetiae, obiectum, ita scilicet quod solus Deus sit causa cuiusque participantis esse, & cuiusque pertinentis ad esse rei: id quod non cōuenit ceteris agentibus. Nam & est aliquid participans esse, quod non est producibile ab aliquo agente creato, ut substantia spiritalis, & est aliquid pertinens ad esse rei, nempe materia prima, quam non facit, sed supponit agens creatum. Esse igitur est formale &

Obiectum.

& adequatum obiectum diuinæ potentia,  
& virtutis.

Tertius sensus est, esse simpliciter, & absolute, & sine limitatione, & contractione ad particularem modum essendi est proprius effectus Dei, cætera vero agētia non sunt causa essendi simpliciter, sed essendi hoc, puta hominem, aut equū, quæ essendi rationes sunt particulares. Et quoniam Deus est causa essendi simpliciter & absolute, hinc efficitur, ut Deus sit causa & cuiusq; habentis esse, & pertinentis ad esse rei, efficitur etiā ut esse sit ratio, quare quodq; sit à Deo factibile, ratio porro propter quam est vnunquodq; ab alijs agentibus factibile, non est esse simpliciter, sed esse hoc, ceu Equū, aut bouem.

Quartus demum sensus est, Esse est proprius effectus Dei, id est, esse per se primo est effectus Dei, per se quidē Deus efficit esse, quia efficit ens in quantum ens absolute, ut potest quia producit illud, postquam omnino nihil erat, primo autem efficit esse, quia est causa essendi non ratione partis, sed secundum totum. At agens secundarium non per se primo producit ens, non primo, quia non est causa omnium quæ pertinent ad esse Socratis generati, solam enim efficit formam, materiam vero nō facit, sed eam suæ actioni præsupponit. Neq; itidem per se efficit, quoniam efficit id quod superuenit, & quodammodo accedit enti absolute, nempe particularem modum essendi veluti esse hominem. Propositio illa diui Thomæ sub secūdo, tertio, & quarto sensu intelligenda est. Vide Caietanū. 1. p. q. 8. ar. & q. 45. ar. Ferrariensem 2. Contra gent. cap. 25. & 3. Contra gent. cap. 66. Syluestrum in Conflato q. 8. ar. 1.

QVÆSTIO. 3.

*Vtrum Deus sit in rebus omnibus per essentiam, præsentiam, & potētiam.*

**A**D huc Deum esse in rebus omnibus demonstratum est. Sequitur ut doceamus quibus modis sit in rebus. Ac magister duos modos comemorat patrū

sententijs confirmatos, quorum prior generalis est, posterior vero specialis. Generalis in creaturis omnibus cernitur, specialis vero in ea creatura solum, quæ mentis & rationis est particeps: ac generatim quidē Deus est in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam: speciatim vero in creatura rationis compote per inhabitationis gratiam. Priore modo Deus est in rebus effectiuè, posteriore vero modo obiectiuè. Nanq; ut author est August. epistola 57.

Deum habitare in aliquo siue haberi ab aliquo, est sic esse in eo, ut ab eo cognoscatur, & diligatur. Et quoniam creatura rationis particeps ex gratia consequitur, ut Deum cognoscat, & diligat, hinc effectum est, ut hic modus existendi in creatura dicatur per inhabitationis gratiam: quo modo Deus est in sanctis, ac pijs mentibus. Est igitur Deus speciali modo in creatura, ut obiectū cognitum, & amatum: generali vero in omnibus per essentiam, præsentiam, & potētiam: etenim ubi Deus habitat, ibi est, ut disertissime annotauit magister hac distinctiōe cap. 2. non tamen ubi est, iam ibi habitat. Nanq; in omnibus creatis rebus est, uti iam demonstratum est, non tamen in omnibus inhabitat, sed in solis bonis, qui sunt tēplū eius, & sedes eius, iuxta illud Esaia 66. cœlū mihi sedes est. Item sap. 7. & 9. Thronus sapientiæ anima iusti.

Cum igitur duo sint modi, quibus Deus existit in rebus, generalis vnus, quæ omnes sibi res creatæ vendicant, specialis vero alter, qui in sola creatura rationali cernitur, de utroq; disserendum nobis est. Ac quod attinet ad generalem modum, qui positus est in existentia per essentiam, præsentiam, & potentiam, de intelligentia horum verborum est inter theologos controuersia. Non enim eodē modo omnes hos existendi modos interpretantur. D. Thomas. 1. p. q. 8. ar. 3. hos modos sic interpretatur, ut esse in rebus per essentiam, nihil sit aliud, quam Deum immediate adesse omnibus, non solum immediate virtutis, verum etiam immediate suppositi, dans, & conseruans esse rei

Agostin.

Sup. ed. id. 12. 1. 1.

q. 64.

Duo sunt modi quibus Deus existit in rebus, vnus generalis alter specialis.

Deū existere in rebus, per essentiam, præsentiam & potētiam, quid sit apud D. Thomā.

cuiusq; Vnde ipsum esse creaturae est quidem illius formaliter, Dei vero causaliter. Esse vero per potentiam interpretatur, omnia divina, cum potestati, tum virtuti subesse, potestati quidem, quatenus valet res cum non sint ad esse perducere, & iam perductas in esse conservare, & in nihilum redigere, virtuti vero quoniam omnia agunt vi ac virtute divina participata. Esse vero per praesentiam declarat omnia esse in prospectu eius, iuxta illud ad Hebraeos. 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, neque est vlla creatura invisibilis in conspectu eius.

Hanc porro expositionem regis exemplo declarat. Etenim rex est alicubi per potentiam, alicubi per praesentiam, alicubi vero per essentiam. Est ille quidem per potentiam in toto regno, nempe quia in toto regno imperium exerceat, & omnes eius imperio obtemperent, & eius imperium revereantur.

Est autem per praesentiam in cubiculo in quo manet. Namque per praesentiam ibi dicitur esse aliquis, ubi quae fiunt, quaeque geruntur, ac denique quae ibi sunt omnia eius patent conspectui, at omnia quae fiunt, quaeque sunt in cubiculo regis sunt oculis subiecta, est igitur rex in cubiculo suo per praesentiam, non sic autem est in toto regno. Est autem per essentiam in sede sua, ut pote quia eius tota substantia sua sede contineatur, non sic autem est in toto cubiculo, in quo manet. Hanc eandem interpretationem ponit Magister hac eadem distinctione cap. 7. de aliorum opinione, & sententia, quam & ipse comprobat, nisi quod in eo, quod Deus est ubique, & in rebus omnibus per essentiam plus aliquid contineri credendum putat, quam quod homo vivens capere possit.

Ceterum Aureolus apud Capreolum. i. d. 37. q. 2. Hanc illorum modorum intelligentiam, & expositionem non recipit, ac proinde eam reprehendit. Ac in expositionem illius modi per praesentiam sic invehitur. De tua sententia, Deum esse per praesentiam in rebus, est aliud nihil, quam Deum res habere in prospectu, hoc vero nihil est aliud quam Deum esse in rebus per cognitionem, at hoc falsum

est, nam cognitum est in cognoscere, & non vice versa, igitur Deum esse in rebus per praesentiam male sic accipitur, ut dicatur esse in rebus per cognitionem.

Contra expositionem vero modi per essentiam sic argumentatur. Ille modus, iuxta tuam interpretationem, recidit in modum per potentiam, igitur interpretatio tua nulla est. Antecedens probatur. Esse in rebus per potentiam ponit immediationem virtutis, esse vero in rebus per essentiam ponit immediationem suppositi, at haec duo coincidunt, tum quia virtus Dei non distinguitur a supposito, ac proinde esse in rebus immediate immediatione virtutis non distinguitur ab esse immediate immediatione suppositi, tum quia, attingens immediate immediatione virtutis attingit etiam immediate immediatione suppositi, ut dictum est, igitur esse per potentiam in rebus, id quod pertinet ad immediationem virtutis, non distinguitur ab esse in rebus per essentiam, id quod pertinet ad immediationem suppositi.

Durandus etiam. i. d. 37. q. 1. illam interpretationem etiam improbat. Argumentatur autem in hunc modum, si Deum esse in rebus per praesentiam esset, Deum habere res in suo prospectu, sequeretur Deum esse in rebus non solum quando sunt, sed etiam quando non sunt, siquidem divinus intellectus, aequae cernit ea quae sunt, atque ea quae non sunt, consequens est falsum, nempe quia nihil est in eo quod non est, & res quando non erant in Deo potius erant, quam Deus in eis.

Eodem modo licet argumentari contra modum per potentiam. Etenim quando res non erant, habebat Deus potentiam ad ipsas producendas postquam non erant, & ad easdem annihilandum, postquam erant, igitur. &c.

Contra modum vero essendi in rebus per essentiam sic argumentatur Durandus. Deus est in rebus non solum secundum effectum suum, quod est esse, verum etiam secundum reale exhibitionem, & praesentialitatem essentiae suae, igitur Deum esse in rebus per essentiam plus aliquid importat, quam Deum adesse rebus, ut dantem esse.

Refutat etiam Durandus.

Refutat Aureolus, d. Tho. ma. interpretacionem.

Durandi  
interpre-  
tatio.

Quocirca Durandus aliter accipiendos, & interpretandos existimat modos illos. Modum igitur illum, nempe esse in rebus per presentiam sic accipit, ut illum esse dicat, Deum esse in rebus interuentu actionis, per quam Deus & res producit, & in esse conseruat. Id vero sic ostendit. Deus non efficitur rebus presentis, nisi quia res efficiuntur ei presentes, efficiuntur autem presentes presentia reali per suam existentiam, nam quod non est presentis realiter non est, ut possit esse presentis obiectiue, res autem non existunt nisi per actionem Dei creantis, & conseruantis, igitur Deum esse in rebus per presentiam est Deum esse in rebus interuentu actionis, per quam res producit in esse cum prius non fuerint, & easdem conseruat in esse, cum iam fuerint. Quoniam vero non egreditur actioni nisi mediante potentia, & virtute, sequitur ut Deus sit in rebus etiam per potentiam.

Esse porro Deum in rebus per essentiam, referendum putat Durandus ad reale coexistentiam Dei cum rebus. Quemadmodum enim lux in aere non fit, neque conseruatur in esse, nisi ad reale coexistentiam Solis, quam si subduceret, nulla esset lux in aere, sic etiam nulla res conseruatur in esse nisi ad reale coexistentiam Dei, quam si subtraheret, res omnes in nihilum reciderent. Deum igitur esse in rebus per essentiam est Deum in rebus coexistere, in qua coexistentia posita est naturalis exhibitio, & presentialitas substantiae Dei ad res.

Ita Deus est in omnibus rebus per presentiam, & potentiam operando, per essentiam vero eisdem coexistendo, & reale suae substantiae presentiam exhibendo. Hac tamen expositio Durandi in illam priorē diui Thomae quoad duos generales modos, nempe per potentiam, & per essentiam, recidit. Nam rebus coexistere, & reale eis suae substantiae presentiam exhibere, quid est aliud, quam Deum esse in rebus immediate immediatione suppositi? Vnde haec duo vel sunt vnum, & idem, vel certe sese mutuo consequuntur. Expositio tamen illius modi per presentiam differt ab expositione D. Thomae. Namque diuus

Thomas presentialitatem refert ad Dei intuitum super res, Durandus vero ad operationem ipsius in rebus, dando esse, & conseruando esse. Caterum illa diui Thomae expositio aptior est, & patrum sensui magis consona, ut satis colligi potest ex his quae Magister de patrum sententia hac indistinctione, nempe 37. docet.

Porro argumentum Durandi non cogit. Nam cum dicitur Deum esse in rebus per presentiam, verbum illud, res, supponit pro eo, quod proprie, & vere est, cuiusmodi est illud, quod est extra suam causam pro aliqua temporis differentia, non autem pro eo quod est secundum quid, scilicet in nunc aternitatis: quod licet Deo sit presentis, non tamen Deus est in illo, sed illud potius in Deo.

Ad argumentum etiam Aureoli contra expositionem huiusmodi, per presentiam, referatur, in cognitione duo spectari, nempe modum cognitionis, & vim cognitionis, modus cognitionis in hoc consistit, ut cognitio fiat per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam, quam assimilationem efficit similitudo rei cognitae existens in cognoscente, quia vero per talem similitudinem cognitum habet esse in cognoscente, esse inquam obiectiuum, hinc fit ut secundum modum cognitionis cognitum sit in cognoscente. Vis tamen cognitionis in penetratione rerum usque ad intima consistit, cum igitur vis cognitionis pertingat ad res penetrando intima quarum rerum, hinc fit ut quoad vim cognitionis cognoscentis sit in rebus. Ad formam igitur argumenti responderetur cognitum esse in cognoscente quoad modum cognitionis, quoad vim autem cognitionis, cognoscentis est in rebus cognitis, penetrando scilicet usque ad intima. Hac responsio est Caietani. 1. p. q. 8. ar. 3. post Capreolum. 1. 5. d. 37. q. 2.

Melius responderetur cognitum esse in cognoscente cognitione abstractiua, quae perficitur presentialitate rei in suo representatiuo existente in potentia cognitiua, non tamen cognitione intuitiua, quae perficitur presentialitate rei in se ipsa actu existente. Hac siquidem cognitio ex propria ratione, qua

iudicium  
authoris

Ad argu-  
menta Du-  
randi res-  
ponso.

Ad Aure-  
olum.

Im-  
tio-  
tis  
plex

De-  
tra-  
do-  
ner-  
qu-  
De-  
in-

intuitiva est, in res ipsas tendit. Caiet. vbi supra. Ad argumentum etiam illud Aureoli contra expositionem illius mundi, per essentiam, negatur antecedens, ad probationem vero concessa maiore, negatur minor. Ad probationem vero illius minoris priorem dicitur, quod quavis virtus Dei, & suppositum divinum non distinguantur re ipsa, distinguuntur tamen ratione, qua distinctione rationis efficitur, ut aliquid reale dicatur de virtute Dei, quod ipsum tamen non dicitur de supposito. Etenim divinae virtuti attribuitur hoc reale, nempe quod sit effectiva omnium, & quoad omnia immediate, quod ipsum tamen non vere dicitur de divino supposito. Nam licet divinum suppositum sit effectivum omnium, immediate tamen non se habet ad omnia, quae cernuntur in re, quoad modum supra docuimus.

**Immediatio virtutis duplex.** Ad posteriorem vero probationem dicitur, immediationem virtutis accipi posse duobus modis, vno modo ut dicat virtutem non aliunde emendicatum, siue independentem. Altero modo, ut significet virtutem excludentem omnem causam mediam effectivam, siue medium inter sit, siue non intrat. Immediatio virtutis priori modo accepta non infert immediationem suppositi, imo vero ponit mediationem suppositi. Nam quanto agens est superius, tanto est minus immediatum immediatione suppositi. Caterum immediatio virtutis sumpta posteriore modo ponit necessario immediationem suppositi, & substantiam, ut supra docuimus. Non est igitur labefactata, sed stat adhuc, & integra permanet expositio divi Thomae, quam & nos etiam amplectimur, & probamus.

**Demonstratio modorum generalium, quibus Deus est in rebus.** Sunt qui hos generales modos sic colligant. Deum esse in rebus nihil ponit in ipso Deo, sed causalitatem solum importat & influentiam Dei in res ipsas, igitur Deus necessario est in rebus essentia, praesentia, & potentia. Consecutio probatur. Deus est in rebus per causalitatem, & influentiam, est igitur in rebus per praesentiam, siquidem omne agens praesens est ei in quod agit, cum praesertim est agens immediatum, quale agens

Deus est, cumque operatio non egrediatur ab agente nisi mediante virtute, virtus autem esse non possit sine substantia, imo vero ipsa Dei virtus sit ipsa eius substantia, relinquatur ut Deus necessario sit in rebus praesentia, virtute, & essentia. Thomas. l.d. 37. q. 1. ar. 2. Egidius. l.d. 37. ar. 1. q. 2. Dionysius Cartusianus. l.d. 37. q. 2. Ita iuxta horum doctorum sententiam, Deum esse in rebus per praesentiam, est aliud nihil quam Deum esse in rebus per causalitatem, & influentiam, ad quem essendi modum consequitur Deum esse in rebus per potentiam, & essentiam. Hac expositio ut sit planior, & intellectu facilior, illa tamen prior D. Thomae praestantior est, ut quae singulos modos explanet, & eos ab invicem secernat.

Deum igitur esse in rebus omnibus essentia, praesentia, & potentia, non solum veritas est, verum etiam catholica veritas, ut potest cuius oppositum repugnet catholicae fidei. Etenim fides catholica profitetur summo, & praepotenti deo res omnes tam visibiles, quam invisibiles, tam corporeas, quam incorporeas esse subiectas, ita ut cum non fuerint, eas ad esse produxerit, & cum iam sint in esse conservet. Contra quod impij Manichaei senserunt, qui Deo res solas incorporeas, & invisibiles subditas esse voluerunt, corporeas vero & visibiles non item, sed eas Cacodemoni subdiderunt, contra hanc impietatem Catholici dicunt, Deum esse in rebus omnibus per potentiam, ut potest cuius potentiae omnia tam visibilia, quam in visibilia, corporea, & incorporea subdantur.

Docet etiam fides Catholica, & constanter profitetur Deum curare res humanas, & inferiora haec omnia summa providentia administrate, contra quod impij Epicurei senserunt, qui Deo humanarum rerum curam, & inferiorum omnium providentiam detraxerunt, contra hanc impietatem Catholici dicunt Deum esse in omnibus per praesentiam, ut potest cuius intuitus ad omnia tam superna, quam inferna pertingat, sitque inspector cogitationum & intentionum cordis.

Thomas Egidius Chartusianus.

Deum esse in rebus per essentiam, praesentiam, & potentiam catholica veritas est.

Manicheorum error.

Epicureorum error.

DISTINCT. 35. 36. 37. 38. 39. DE EXISTENTIA DEI IN REB.

Docet etiam Catholica fides à Deo omnia fuisse producta, ita ut ipse omnibus, quæ sunt, essendi causa sit, & nihil omnino eius efficientiam effugerit. Etenim omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est, iuxta interpretationem Sanctorum Patrum Grecorum, id est, nihil est in rebus creatum quod extra Dei efficientiam esse obtinuerit: contra quod impius Avicena sensit, qui putavit Deum non esse immediatam causam essendi omnibus sed primas substantias dūtaxat procreasse, ceteras non item. Contra quem errorem Catholici dicunt, Deū esse in rebus omnibus per essentiam, tanquam efficientem immediatū cum immedatione virtutis, tū immedatione suppositi, dantem rebus esse, & illud ipsum esse conservantem.

Videat autem Durandus, utrū cum Avicena senserit, qui hoc loco, hoc est. d. 37. q. 1. dixerit Deum esse immediatā causam omnium quod conservationem, non autē quod ad productionē. Videtur enim sentire Deū esse causam efficientem alicuius solum mediatam. Si intelligat mediatā mediatione virtutis, & suppositi, non solum propositio & assertio Durandi est contra omnes Theologos, & Orthodoxos patres asserentes Deum esse causam effectricem omnium, & singulorum: verum etiam contra philosophos docentes primā causam in omni causato plus influere, quam quæcūq; alia secunda causa. Sin vero intelligat Deum non esse causam effectricem omnium, & quoad omnia immediatam imedatione suppositi, hoc nos etiam dicimus, cui tamen adiungimus Deū esse causam effectricem omnium & quoad omnia immediatam imedatione virtutis.

Explicatus est generalis modus ille quo Deus est in omni re creata, superest ut explicetur modus specialis, quo Deus specialiori modo est in quibusdam creaturis, ijs scilicet quæ mentis & rationis sunt cōpotes, in quibus Deus esse dicitur tanquam obiectum cognitum, & amatū, id quod fit per diffusam, & inharentem gratiam. Hūc specialē existendi modum in creatura docuit Augusti-

nus Epistola. 28. Tomo. 2. ad diuū Hieronymū scribens in hunc modum, Deus cū sit in omnibus essentialiter ac totus, in illis tamen planius esse dicitur, quos inhabitat, id est, in quibus ita est ut faciat eos templū suū, & habitātes cum eo sunt iam ex parte, sed in beatitudine perfectē. Mali vero, & si ibi sint, vbi ipse est, qui nusquam deest, non tamen sunt cum eo. Vnde idem Augustinus explanans, & expendens illa Christi verba posita Ioannis. 17. cap. vbi ego sum, & illi sint mecum, sic ait, non satis fuit dicere, vbi ego sum, & illi sint, sed addidit, mecum, quia & ibi miseri possunt esse, vbi & ille est, qui nusquam deest, sed beati sunt cum illo, quia non sunt beati, nisi ex eo quod cum illo sint, qui fruuntur eo, & vident illum sicut est. Mali vero non sunt cum illo, ut cæci in luce non sunt cum luce, neq; boni ita nunc sunt cum eo, ut videant per speciem, & si sint alio quo modo cum eo per fidem,

Ex his quæ citauimus ex Augustino, colliguntur nonnullæ propositiones verissimæ. Prima propositio. Deus est in omnibus, nō tamen habitat in omnibus. In illis siquidē inhabitat solum, quibus est obiectum cognitū, & amatū. Sunt autē ij qui aut per speciem contemplantur in patria, aut per fidem, spē & charitatem ei adhærescunt in via.

Secunda propositio. Deus est vbique, non tamen vbique habitat. Nam & in inferis est, qui nusquam deest, in inferis tamen nō habitat. Nam Deus, ut author est Augustinus lib. 2. cōtra Maximium cap. 11. & lib. 3. cap. 21. Deus in templo suo habitat, id est, in sanctis, qui sunt templum Dei, ut ait Paul. 1. Cor. iam autem in inferis non degunt sancti, non est igitur ibi templum Dei, ac proinde in inferis non habitat Deus.

Tertia propositio. Mali, & nefarij sunt vbi Deus est, qui nusquam abest, & nusquam deest, non tamen cum Deo sunt, ut qui ei fide, & charitate minime coniungantur.

Quarta propositio. Deus est in improbis ut pote in quibus sit per essentiam, præsentiam, & potentiam, non tamen est cum improbis, ut pote, quia in illis non habitat, ut

Avicena  
errore.

Reprehē  
tio Durā.  
vide d.  
44. 45.

Explicatio  
modi  
specialis,  
quo Deus  
est in cer  
tis rebus.

Augusti.

2. Propo.

2. Propo.

3. Propo.

4. Propo.



patet ex prima propositione. Ita expositi sunt modi tam generales quam speciales, quibus Deus esse dicitur in creatura, reliqua est istorum modorum refutatio.

REFUTATIO MODORVM

Quibus Deus dicitur esse in creaturis.

1. ARG. **A**C primum, contra modum illum, per essentiam, sic licet argumentari. Id per essentiam est in aliquo, quod est essentialiter in ipso, at Deus non est essentialiter in rebus, ut patet quia non sit de essentia alicuius, minus ergo bene dicitur, Deum esse in rebus per essentiam.

2. ARG. Præterea, ille modus per presentiam, videtur incurrere in illum modum, per essentiam, superuacaneum ergo fuit dicere, Deum esse in rebus per essentiam, presentiam, & potentiam. Consecutio firma est, Antecedens ostenditur. Deum esse alicui presentem, est Deum illi non deesse, atqui Deum esse per essentiam in omnibus, est Deum non deesse rei alicui, igitur ille modus per presentiam incurrit in illum modum per essentiam.

3. ARG. Præterea, sicut Deus se habet ad res ut presentis, & potens, sic etiam se habet ad res ut sciens, igitur sicut Deus dicitur esse in rebus & potens per presentiam, & potentiam, sic etiam dicitur esse in rebus per scientiam & voluntatem & ita plures sunt modi generales, quam tres. Consecutio probatur, quoniam isti modi accipiuntur ex diuersa habitudine Dei ad creaturas.

4. ARG. Contra modum vero specialem argumentatur Aureolus apud cap. 1. d. 37. in hunc modum. Deus est obiectiue etiam in non sanctis, ceu in hominibus christianis improbis, & tamen Deus non est in illis per gratiam, igitur existere in creatura, ut obiectum cognitum, male dicitur esse aliud nihil, quam existere in aliquo per gratiam.

5. ARG. Præterea, in aliquibus Deus est per gratiam, in quibus non est ut obiectum cognitum & amatum, in paruulis scilicet sacra fonte ablutis, igitur esse obiectiue in creatura, non est existere in ea per gratiam.

Postremo, est aliquis alius modus, per quem Deus existit in creatura, qui in nullo eorum, quos exposuimus, incurrit, neque generalem, neque specialem, igitur non est absoluta illa modorum enumeratio. Antecedens probatur, quoniam in homine Christo Deus inhabitat, non per gratiam adoptionis, sed per gratiam hypostaticam unionis, quem essendi modum Magister distinctionis. 37. cap. 1. inquit esse omnium supremum, & excellentissimum.

DILVTIO ARGV.

PRIMUM argumentum diluit D. Thomas 1. p. q. 8. ar. 3. ad primum, distinguendo illud antecedens. Nam esse per essentiam in aliquo accipitur duobus modis, vno modo per essentiam eius in quo inest, ac hoc modo vera est maior, altero modo per essentiam eius qui in alio existit, ac hoc modo maior illa propositio est falsa. Iam autem Deus est in rebus per essentiam non quidem rerum ipsarum in quibus existit, sed per essentiam suam, per quam presentissime adest omnibus rebus ut causa essendi.

Ad secundum respondetur negatione antecedentis. Ad probationem vero negatur illud, imo vero esse presentem alicui, est illud subiacere eius conspectui, cum quo stat, illud ipsum ab eo suppositaliter distare, ac proinde presentiam substantialem ipsius ei deesse, hoc est, ei minime exhiberi, ut patet quia distet localiter ab eo, in cuius prospectu est. Cum vero hæc coniunctio, siue immediatio suppositalis, siue hæc exhibitio presentiam secundum substantiam declaretur per hoc quod est esse in aliquo per essentiam, propterea oportuit duos modos poni, scilicet per essentiam, & presentiam. D. Thomas. 1. p. q. 8. ar. 3. ad secundum.

Ad tertium, neganda putat D. Thomas consecutionem. 1. p. q. 8. ar. 3. ad secundum, propter diuersam rationem in utroque inuenta. Etenim illud in ratione scientiam, & voluntatis est positum, ut scitum sit in sciente, & volitum in volente, ex quo fit ut secundum scientiam, & voluntatem in Deo sint res potius, quam Deus in rebus. At in ratione potentiam illud

DISTINCT. 35. 36. 37. 38. 39. DE EXISTENTIA DEI IN REB.

est positum ut sit principium agendi in aliud, ex quo fit ut agens ipsum secundum potentiam, habitudinem habeat ad extra, reique exteriori applicetur: ac proinde secundum potentiam agens ipsum dici potest esse in altero.

Porro pro responsione ad quartum & quintum argumentum contra modum speciale, illud volumus esse prenotatum, esse in aliquo ut obiectum cognitum accipi posse duobus modis, vno modo ut obiectum cognitum simpliciter, altero modo ut obiectum cognitum cognitione pariente charitatem. Rursus esse in aliquo ut obiectum cognitum cognitione affectiva contingit duobus modis, vno modo secundum actum, cum scilicet mens de Deo actu cogitat, & cogitando diligit, altero modo secundum habitum. Hinc iam constat ad quartum, & quintum argumentum responsio.

Ad 4. Ad quartum igitur respondetur esse in aliquo ut obiectum cognitum simpliciter non efficere modum speciale, qui est esse in aliquo per gratiam, sed esse in aliquo, ut obiectum cognitum cognitione pariente charitatem. Priore modo Deus est etiam in non sanctis, posteriore vero modo in sanctis. Hi siquidem ad templum Dei pertinent: illi non ite, qui, ut ait August. Epist. 57. Deum cognoscentes non sicut Deum glorificauerunt, ad Rom. cap. 1.

Ad 5. Ad quintum respondetur, Deum esse in parvulis, ut obiectum cognitum, & amatum non a quidem actu, sed habitu, habent illi siquidem infusum fidei, & charitatis habitum, per quem, ut superiore loco ait Augustinus, pertinet ad templum Dei. Ita improbi illi, & mali christiani, quem nouerunt, & habere potuerunt, non habent, isti vero paruuli in Christo sanctificati habent, ante quam nosset.

Ad 6. Ad vltimum respondetur, modum illum existendi in homine per vniorem hypostaticam, esse, singularem: ac proinde non fuisse inter illos connumeratum, qui aut in omnibus creaturis reperiuntur, aut in certo creaturarum genere cernuntur.

Quatuor modis Deus est in rebus. Hinc habes, quemadmodum grauissimi theologi annotauerunt, Deum esse in rebus quatuor modis, primo modo per naturam, essentia scilicet, presentia, & potentia, quo modo est in omni re creata, secundo modo per gratiam,

ac hoc modo est in sanctis pro statu viae, in quibus non solum est Deus, verum etiam inhabitat. Tertio modo per gratiam consummatam, siue per gloriam & hoc modo Deus est in beatis comprehensoribus. Quarto modo per unionem, & coniunctionem personalem, & hoc modo Deus est in solo homine Christo, ac proinde hic modo dicitur singularis, quem nos modum, alioqui in comprehensibilem, inexplicabilem, & modis omnibus admirabilem, pro captu ingenij nostri, patrum uestigia secuti, in nostris de Verbo incarnato pralectionibus, explicauimus.

Queri hoc loco etiam consuevit, anne simpliciter & sine adiunctione, dici possit Deum esse in demonibus? D. Thomas. 1. d. 37. q. 1. ar. 1. tradit non esse simpliciter dicendum Deum esse in demonibus, sed cum adiunctione, nempe quatenus sunt quaedam res, & creaturae, cuius rei duplicem assignat causam, prior ea est, quia diabolus non nominat naturam solum, sed naturam deprauatam, & deformatam deformitate culpae, quae non est à Deo, sed ab ipso demone. Posterior ea est, quia diabolus naturae est intellectualis, ac proinde cum dicitur Deum esse in demonibus, intelligitur ille modus, per quem natura mentis particeps est ipsius Dei capax, nempe per gratiam. His igitur duabus de causis non putat diuus Thomas esse simpliciter, & absolute enunciandum Deum esse in demonibus, sed hoc addito, nempe in quantum creaturae, siue per essentiam, & potentiam. Id quod est etiam sentiendum de homine peccatore, non enim est simpliciter dicendum, Deus est in hoc homine, nisi adiungatur quatenus creatura. Vnde Ricardus D. Thomae autoritate adductus. 1. d. 37. q. 1. ar. 2. pro regula ponit, in rebus quae important vilitatem, siue spirituale, ut daemones, siue corporale, ut locus infernus, non esse dicendum absolute esse essentiam diuinam, nisi hac adiunctione, quatenus creaturae: nobis non displicet haec doctrina.

QUESTIO. 5.

Verum Deus sit equaliter in rebus omnibus?

Questio

Verum Deus sit in demonibus?

1. Cocl

2. Cocl

Augu

Ricardus

1. Cōclu.



Vaestio explicatur nonnullis subiectis conclusi-  
onibus. Prima conclusio.  
Deus quoad modos esse  
di in creaturis generales,  
nempe per essentiã, præ-  
sentiam, & potentiam, æqualiter est in om-  
nibus rebus creatis, siue corporeis, siue in-  
corporeis, siue sensibilibus, siue insensi-  
bilibus. Etenim eius potētia, & virtuti æque  
subiecta, ac subdita sunt omnia, eiusq; cōs-  
pectui æque patent omnia, & cum ipsius es-  
sentia sit intima rebus omnibus, æque cōe-  
xistit, & præsens adest omnibus.

2. Cōclu.

Secunda conclusio. Quoad modum esse  
di in creaturis specialem, qui positus est in  
illapsu, & in habitatione per gratiam, Deus  
nō est æque in omni creatura illius illapsus,  
& in habitationis capaci. Huic conclusioni  
fidem facit magni Augustini autoritas in  
libro de præsentia Dei ad Dardanū tomo. 2.  
Epistola 57. ita inquit, Deus cum sit natu-  
ra incorporea, & incōmutabiliter viua, æter-  
na stabilitate in se ipso manens, rotus adest  
rebus omnibus, & singulis totus, sed in qui-  
bus habitat, habent eum pro suã capacitatis  
diversitate, alij amplius, alij minus, quos ip-  
se sibi dilectissimum remplum gratia suã bo-  
nitatis ædificat. Ecce his verbis Augustinus  
duos modos essendi Deum in creaturis ex-  
pressit, vnum per influentiam naturalem,  
alterum per influentiam gratiæ, illam esse in  
omnibus, & singulis rebus creatis æqualem  
confirmat, hanc vero non item: quæ tamē  
diversitas ad capacitatem, hoc est, dispositi-  
onem subiecti est omnis referenda.

3. Cōclu.

Tertia conclusio. Deus non est æqualiter  
in rebus omnibus. Nanq; in creaturis ratioe,  
& intellectu præditis, in quibus per gratiam  
inhabitat, familiariore, & excellentiore mo-  
do est, quam in alijs, in quibus est per essen-  
tiam, præsentiam, & potentiam duntaxat,  
vt testatur D. Gregorius citatus in litera  
Magistri.

**QVAESTIO. 5.**  
*Vtrum Deus sit in se ipso.*



Iuus Augustinus libro. 2. cōtra Ma-  
ximū. cap. 11. & lib. 3. cap. 21. respō-  
densijs, qui curiosius quærent, vbi  
nam erat Deus ætequam faceret cœlū, &  
terrā, & antequā faceret sanctos, sic ait, ante  
quam faceret Deus cœlum & terram. Ante  
quam faceret sanctos in se habitabat Deus,  
apud se habitat, & apud se est. Nō ergo sã-  
cti sic sunt domus Dei vt ea subtracta ca-  
dat Deus, imo sic habitat Deus in sanctis, vt  
si ipse discesserit, cadant. Ex his Augustini  
verbis duo colliguntur, illud est prius, Deū  
sic esse in cœlis, & in terra, & in sanctis, atq;  
adeo in ōnibus creatis rebus, vt interim sit  
& maneat in se ipso. Posterius est illud, De-  
um ante quam mundū procrearet, quæq; in  
mundo sunt omnia, in se ipso esse, & apud  
se habitare. Id vero quo pacto vt intelligen-  
dum exponit doctissimus Egidius l. d. 37. ar.  
1. q. 3. Ac hoc ipsum, nempe Deum esse in se  
& mære in se ipso quatuor vijs colligit, & cō-  
ficit Egidius. Prima via sumitur ex ipso esse  
Dei, argumentatur autem in hunc modum.  
Deus est ipsum esse, igitur Deus nullo indi-  
get conseruante, & sustentante, ac proinde  
in se ipso manet, & in se ipso stat. Antecedēs  
supponitur, consecutio ex eo patet, quia nō  
est intelligibile ipsum esse non esse, igitur si  
Deus est ipsum esse, efficitur vt nullo indi-  
geat sustentante, atq; conseruante. Et confir-  
matur, quia creatura ob id requirit causã se cō-  
seruantē, & sustentantē, quia nō est suū esse,  
sed habet esse participatū, & ab alio depēdēs.  
Secūda via sumitur ex ipsa Dei bonitate.  
Argumentatur autē doctor noster in hūc mo-  
dū. Deus est ipsa bonitas, siue ipsamet esse-  
tia bonitatis, igitur Deus omnia ppter se ip-  
sum operatur, iuxta illud Prouerb. 16. omnia  
ppter se ipsū operatus est dominus. Iam sic,  
ōnia ppter se ipsū operatur Deus, igitur non  
proponit actioni suã finē aliū à se, ac proin-  
de ratione operationis stat, ac manet in se  
ipso. Cōsecutio ex eo patet, quia finis est il-  
lud, in quo quodãmodo cōsistit, & cōquie-  
scit agēs ppter finē. Et cōfirmatur, quia cre-  
atura nō quiescit in se ratione operationis,  
quia agit propter finē aliū à se.

Deus est  
in se ipso

August.

Quomodo  
Deus sit  
in se ipso  
ex Egi-  
dio.

Tertia via sumitur ex ipsa Dei omnimoda immutabilitate. Conficitur autem argumentum in hunc modum. Deus est omnino immutabilis, igitur mutari secundum substantiam nullo modo potest, ac proinde ratione substantiæ in se ipso permanet, atque consistit. Consecutio probatur. Quia illud dicitur consistere, & permanere in aliquo, à quo remoueri non potest: cum igitur Deus cum sit omnino immutabilis, à sua substantia remoueri non possit, ita ut non sit quod erat, sequitur ut ratione suæ substantiæ in se ipso consistat, atque permaneat. Contra quod habet creatura, quæ propter sui mutabilitatem, & in nihilum redigibilitatem remoueri à sua substantia potest, ita ut non sit, quod erat. Nam eo ipso quo ex nihilo effecta sunt omnia, redigi etiam in nihilum possunt.

Quarta ratio sumitur ex ipsa Dei virtute, quæ prima est, & qua cuncta, subsistunt, fit autem argumentum hoc pacto. Dei virtus est prima, ex eaque cuncta subsistunt, igitur Deus ratione virtutis in se ipso manet, & stat. Consecutio probatur: quoniam in primo cuiusque generis, & ordinis statum, nam cum ad illud peruentum est, ulterius non proceditur. Et confirmatur, quia creatura ob id in se ipsa non stat ratione virtutis, quia virtus creaturæ non est virtus prima neque per eam omnia alia subsistant. Has quatuor rationes essendi Deum in se ipso videtur diuus Dionysius insinuasse in commentario de Diuinis nominibus cap. 9. quemadmodum idem Egidius non solum adnotauit, verum etiam exposuit.

Ante mundi creationem Deus erat in se ipso.

Hinc iam perspicui potest ad illorum interrogationem responsio, qui curiosius, aut certe ignorantius inquirunt, ubi erat Deus antequam mundum constitueret, nam cum præter Deum nihil esset, ubi erat Deus? Dicimus cum Augustino in se ipso esse, & in se ipso habitare, ut potest quia ipse sibi solus est sufficientissimus. Hinc distichum illud profectum est.

*Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset?  
Tunc, ubi nunc, in se, quoniam sibi ipse sufficit ipse.*

## REFUTATIO CONCLV. sionis.

Deus est in se ipso ob id, quia est idem sibi, ut innuit Dionysius loco supra citato, sic inquires, Deus manet in se ipso immobili identitate, at quælibet res est eadem sibi, igitur quælibet res est in se ipsa, contra quod sentit, & docet Arist. 4. Phys. omnino negans aliquid esse in se ipso.

## DILVTIO ARGUMENTI.

Diluit argumentum Egidius explicando maiorem illam propositionem, etenim Deus est in se ipso, non solum ex eo, quia est idem sibi, sed quia habet esse independens, & quia in operando se solum habet pro fine, & dimoueri ab essendi statu non potest, & quia est virtus prima, & vniuersalis, ad quam fit status: qui modi essendi in se ipso non incurrunt in eos, quos tradidit Aristot. 4. Phys. ac proinde eius authoritas nostræ assertioni non officit.

## QVÆSTIO. 6.

*Vtrum esse ubique domino Deo conueniat?*



Idem alicui potest hanc questionem esse superuacaneam, utpote quia ex eo quod Deus est in rebus omnibus essentia, presentia, & potentia, necessario, & euidenter consequatur Deum esse in omni loco, & nusquam deesse. Namque si Deus rebus omnibus presentis adest, continendo, & conseruando eas, relinquatur, ut cunctis locis etiam, & locatis presentis adsit eadem conseruando, & continendo, ac proinde necessario sit fatendum Deum ubique, & semper esse. Superuacaneè igitur post explicatam existentiam Dei in rebus per essentiam, & potentiam, subinde adducitur in questionem, utrum Deus sit ubique, utpote quia hoc illius est consequens, & tamè omnes Theologi post illam priorè disputationem hanc sub-

subinde suscipiunt, nos dicimus hanc posteriore disputatione merito suscipi à theologis post illam priorem, tū primo, quia ut gravissimi theologi annotaverunt, nempe Alexander, & Albertus, hæc duo nēpe Deū esse in omni re, & esse in omni loco differunt inter se, nanq; in priori connotatur habitudo causantis, & conseruantis ad causatum, & conseruatū, in posteriore vero, denotatur habitudo replētis ad repletum, ac præterea significatur, quod non solū causet, cōtineat, & conseruet locum quē libet in esse, verum etiam eidem virtutem loci propriā, quæ in generando, conseruando, & continēdo locatū consistit, impertiat, quā eandem cui libet rei, in qua est, minime impertit. Tū secundo quia cum esse vbiq; importet esse in omni loco, esse autem in omni loco, supponat esse in loco, Deus autem cum sit incorporeus, & immensus, sit nō locabilis, merito quarendum fuit, esset ne Deus vbiq; quātūvis esset in rebus omnibus, etiā in ipsis locis essentia, præsentia, & potentia.

1. Cōclu.

Deus nulli  
libi est eā  
quā in lo  
co.

Pro explicatione igitur propositæ ad executiendum quæstionis, nonnullas de more subiicimus conclusiones. Prima conclusio. Deus nullibi est tanquam in loco. Pro explicatione & probatione propositæ conclusionis sumimus ex D. Ioanne Damasceno primo de fide orthodoxa lib. cap. 16. duplicē esse locum, corporeum scilicet, & intelligibilem. Locus corporeus est terminus, hoc est, superficies, corporis continentis, ipsi ei quod continetur, immediatus, & attiguus, ut concavū cœli ad ignē. Locus vero intellectualis est, vbi substantia incorporea, & spiritalis adest, & operatur. Habet enim substantia incorporea definitum quendam terminū suæ plenitudinis, & repletia, vltra quem suam præsentia, & operationem exhibere non potest, ac is spiritalis eius locus à Damasceno appellatur. Ex quo iam fit, ut quicquid alicubi est tanquam in loco, sit vel in loco corporeo, aut intellectuali, atqui Deus neq; est in loco corporeo, neq; intellectuali, relinquatur igitur Deum nullibi esse tanquam in loco. Minor quoad priorem

partem satis patet ex Dei ipsius in corporeitate. Nam quod est in loco corporeo non solum continetur, verum etiam commensuratur loco, eodēq; definitur, atq; circūscribitur, id quod provenit ex quantitate, & dimensionibus eius, quod locatur, atqui Deus cum sit in corporeus, omnis est expers quantitatis, & dimensionis, ac proinde loco est incommensurabilis, & ab eodem incircumscriptibilis, nō igitur Deus est in loco corporeo. Posterior pars minoris hinc patet, quia cum Deus sit immensus, & infinitus, nullo certo intellectuali spatio concluditur, atq; comprehenditur, sed extra omnem datum, & dabilem locum suam exhibet præsentiam, & actionem, cuncta replens, ut ait Damascenus, & super omnia eminent, nō igitur Deus est in loco intellectuali, ac proinde nullibi est tanquam in loco. Hoc ipsum Magister hac ratione confirmat d. 37. cap. 11. Illud in loco esse dicitur, quod dimensionem recipit, & distantiam in loco facit, aut loci termino definitur, ita quod sit hic & non alibi, illo priore modo locatur natura corporea, ac proinde in loco esse dicitur circumscriptiue, & cōmensuratiue, hoc vero posteriore modo locatur natura spiritalis, & in corporea, ac proinde in loco esse dicitur definitiue, at Deus neq; dimensionem recipit, aut distantiam in loco facit, cum sit incorporeus, neq; certo loci termino definitur, cum sit infinitus, & immensus, Deus igitur non est alicubi tanquam in loco. Unde inquit Augustinus in libro 83. quæstionum. q. 20. Deus non alicubi est, & tamen quia est, & locus non est, in illo potius sunt omnia, quam ille alicubi, neq; tamen ita in illo, ut ipse sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine, & latitudine, & altitudine occupatur, Deus autem tale aliquid non est, omnia ergo in ipso sunt, & locus nō est, neq; in loco est.

Secunda conclusio. Deus solus sui ipsius locus est, nam si proprium est loci continere, atq; comprehendere, id quod loco continetur, solus autem Deus se capiat, cōtineat, atq; comprehendat, efficitur ut solus

2. Cōclu.

Deus sui  
ipsius est  
locus.

Deus sui ipsius sit locus. Hæc conclusio est diui Ioannis loco supra citato, hæc tamen locutio impropria, vel certe metaphorica est, vt patet ex probatione cõclusionis.

3. Cõclu.

Tertia conclusio Deus est vbiq; non localiter, sed repletive; hoc est, replendo omnẽ locum, siue, vt dicunt alij, attrinctive, & conseruatiue. Huius conclusionis partem primam sic colligit Anselmus Monologij cap.

Deus est  
vbique  
nõ locali  
ter, sed re  
pletive.

19. Summa, quit, essentia aut nusquam est, aut alicubi est, aut vbiq;. Dicit non potest nusquam esse, nam qui fieri potest, vt quod verissime, & summe est, nusquam sit, si quidem non est, quod nusquam est, iam autem non esse repugnat ei, quod summe, & verissime est. Adde quia nihil omnino esset, si nusquam esset, vt pote quia nihil omnino sine Deo est. Neq; etiam dici potest, quod sit alicubi, hoc est, in certo aliquo, & determinato loco. Nanq; ita fieret, vt vbi esset creatrix essentia, ibi esset aliquid, vbi vero non esset, res nulla omnino esset, siquidem sine ea nihil est penitus. Cum igitur Deus sit, & nusquam non sit, neq; in certo aliquo loco sit, relinquatur necessario vt vbiq; sit. Neq; est, inquit Anselmus, quod aliquis dicat Deum esse illum quidem alicubi, hoc est in certo, & definito loco, per potentiã tamen esse in omni loco, quemadmodum rex est in toto regno per potentiã, & imperium, vt sit interim in certo loco. Non est, inquit, quod hoc dicatur, nam cum Deus sit ipsa sua potentia, & contra ipsa eius potentia non sit aliud quam ipse, efficitur necessario vt ibi sit Deus, vbi est eius vis, & potentia. Neq; enim creatrix essentia suam vnquam deserit potentiam, sed quod attingit potentia, cõplet essentia: ita vt ibi sit eius essentia, vbi est eius potentia.

Anselm.

Ibi est Deus,  
vbi  
eius vis,  
& poten  
tia.

Secunda porro pars conclusionis, nempe quod Deus non sit vbiq; localiter, ex eo intelligitur, quia Deus sic totus est in omnibus locis, vt interim sit totus in singulis, vt pote quia sit impartibilis, hoc est, nullas habens partes, iam autem quod localiter est in loco, cõmensuratur loco, ita scilicet vt toti loco totũ respõdeat, & pars eius parti loci.

Adde, quia si Deus localiter esset in omni loco, quasi spatiosa magnitudine videretur p omnia distendi, & omnẽ occupare locũ, contra quod sensit Augustinus in Epistola. 27. de præsentia Dei ad Dardanũ, ita inquit. Non quasi spatiosa magnitudine opinemur Deũ per cuncta diffundi, sicut fumus, aut lux ista diffunditur, sed sicut in duobus sapientibus, quorũ alter altero corpore grãdior est, non tamen sapientior est, vna sapientia est, neq; est in maiore maior, neq; in minore minor, neq; minor in vno, quam in duobus. Ita Deus sine labore regens, & continens mundum, in cælo totus est, in terra totus, & nullo contentus loco, sed in se ipso vbiq; totus.

Augusti.

Tertia porro pars conclusionis ex superiori patet, nam si Deus est in omni loco non localiter occupando, vt pote quia sit totus in omnibus locis, & totus in singulis, sequitur vt sit in omni loco, sua essentia locum omnem cõplendo. Hinc dictum est sap. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Item Hierem. 23. cælũ, & terrã ego impleo. Implet autem Deus omnem locum, non cõtentus à loco sed continens omnem locũ, vt inquit Augusti primo confessionũ libro, cuius hæc sunt verba. An opus habes vt continearis, qui omnia contines quoniam quæ implet, continendo implet.

Postrema particula, nempe quod Deus sit vbiq; attrinctive, & conseruatiue, hinc intelligitur. Quoniam quemadmodũ se habet corporea moles infinita, si daretur, ad occupandũ, ita se habet virtus infinita ad attingendũ & conseruandum, sed infinitum magnitudine, si daretur, localiter omnem locum occuparet, igitur infinitum magnitudine virtutis omnẽ locũ attingit conseruando, & continendo. Vnde sap. 7. dicitur, attingit enĩ vbi que propter suam munditiã, hoc est, puritatem, & simplicitatẽ. Item cap. 8. attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Est igitur Deus vbique totus, vt inquit Augst. in lib. de agone Christiano cap. 18 qui continet totum, & penetrat totũ, qui neq; pro sua simplicitate diuidi, neq; pro sua

Deus est  
vbiq; ac  
trinctive.

Deus  
loca  
tinge  
locor  
ferdit  
nõ in  
nar

Aug

1. A

2. A

3. A

4.

uguffi.

Deus oia  
loca con  
tingens  
locorum  
sordibus  
no inqui  
natur.

sua puritate maculari, neq; pro sua immensi-  
tate vilo modo comprahendi potest. Dicit  
autem Augustinus Deū pro sui puritate nō  
posse maculari, quoniam licet Deus per om-  
nia permeet, & omnia loca contingat, non  
tamen rerum aut locorum sordibus inqui-  
natur: quemadmodum neq; spiritus homi-  
nis sordibus corporis quantūcūq; polluti, &  
infecti, maculatur. Soletiam radios suos p  
omnia loca & corpora difundit, non solum  
munda, sed etiā immunda, & sordibus foete-  
tia, quorū alioqui contactu homines, & mul-  
tæ res alia inficiuntur, ipse tamen non cōta-  
minatur, neq; inficitur. Hoc ipsum est dictū  
à sapiente sapi. 8. Attingit omnia propter  
suam munditiam, neq; aliquid inquinatum  
incurrit in eam, sapientiam videlicet increa-  
tam. Vnde & August. in lib. de natura boni  
cap. 29. sic ait. Cū in Deo sint omnia quæ cō-  
didit, nō tamen inquināt eū illi qui peccāt.

Augusti.

REFUTATIO CONCLV-  
sionum.

1. Arg.

Contra primam cōclusionem obijcit D.  
Ioānes Damascenus loco supra citato,  
etenim diuinæ literæ videtur locū Deo attri-  
buere. Dicitur enī Esaiæ. 66. Cœlū sedes mea  
est, terra autem scabellum pedum meorum,  
quæ est ista domus, quam edificabitis mihi:  
vnde & in precatōne dominica orantes di-  
cimus, Pater noster, quies in cœlis. Dicitur  
etiam Ecclesia locus Dei, & anima iusti se-  
des eius. Videtur igitur Deus locum sibi ven-  
dicare.

2. Arg.

Tertia Conclusio his argumentis refuta-  
tur. Primum sic arguitur, esse vbiq; impor-  
tat esse in loco, atqui Deus non est in loco  
vt patuit ex prima conclusione, non est igitur  
Deus vbiq; hoc est in omni loco.

3. Arg.

Præterea, quod est in determinato loco,  
non est vbiq; hoc est, in omni loco, at De-  
us est in determinato loco, nempe in cœlis,  
iuxta illud, pater noster qui est in cœlis, non  
igitur Deus est in omni loco.

4. Arg.

Præterea, repugnat aliquid esse in omni-  
bus locis, igitur Deo non cōuenit esse vbiq;.  
Consecutio nota est, antecedens ostenditur.

Proprium est loci, vt locatū ambiat, atq; cō-  
nat, ita scilicet vt nihil eius quod locatur sit  
extra locum ipsum, igitur Deus aut iniquā  
erit, aut certe si alicubi est, in certo aliquo, ac  
definito loco est. Consecutio probatur, quia  
si esset in omnibus locis, aut certe in multis,  
illa loci proprietates retineri, & seruari non  
posset.

DILVTIO ARGVMENT.

PRIMUM argumentū diluit idem Dama-  
scenus inquires, locū Dei eum dici, in quo  
fit eius aliqua insignis, & omnibus conspi-  
cua operatio, siue in effectis gloriæ, vt in cœ-  
lo, siue in effectis gratiæ, vt in piorū, ac ius-  
torū mentibus, atq; adeo in Ecclesia, ac pro-  
inde anima iusti, & ecclesia locus, templum  
& habitatio dei esse dicitur. Vnde illud est  
in Psal. 131. dictum, Elegit Dominus Syon,  
elegit eam in habitationem sibi, hæc requies  
mea in seculū seculi, hic habitatio quoniā ele-  
gi eam. Porro terra scabellum pedū Dei di-  
citur, quatenus Deus humanæ carni coniū-  
ctus, siue humana carne vestitus in terris cū  
hominibus versatus est: vt exponit Dama-  
scenus.

Ad 1.

Loc' Dei  
dicitur  
ille, in  
quo insi-  
gniter o-  
peratur.

Ad secundum respondetur Deū non esse  
in loco tanquā contentū à loco, siue circū-  
scriptiue, siue diffinitiue, sed tanquā conti-  
nentem locum, & operantem in loco.

Ad 2.

Ad tertium respōdetur Deū nō sic esse in cœ-  
lis, quasi ibi sedē domicilij sui collocauerit,  
& non alibi, sed speciatim dicitur esse in cœ-  
lis, quia ibi sanctos Angelos, & piorū ani-  
mas sui cōspectu & fruitione beat, ibiq; præ-  
stantiora, & illustriora ostendit diuinæ vir-  
tutis suæ effecta, omnino autem, vt author  
est Damascenus, vbi insignis aliqua & om-  
nibus conspicua Dei fit operatio, ibi specia-  
tim dei locus esse dicitur.

Ad 3.

Ad quartum, negatur antecedens, ad pro-  
bationem vero dicitur, illud esse proprium  
loci respectu corporearum rerū, quæ ita sunt  
in loco vt contineantur, & comprahendan-  
tur à loco, ipsiq; cōmensurentur, non tamen  
respectu spiritualium, quæ non continentur  
à locis, sed ipsæ potius loca continent, ac pro-  
inde esse potius in multis locis, in eisdē ope-  
rando.

Ad 4.

est  
ac-  
ue.

DISTINCT. 35. 36. 37. 38. 39. DE EXISTENTIA DEI IN REB.

rando. Verum est tamen substantijs spiritu-  
alibus creatis, ceu Angelicis mentibus, præ-  
scriptam esse Sphærã, vt dicunt, suæ actiuita-  
tis, præfixumq; terminum replentia, & præ-  
sentia, vltra quem suam neq; exhi-  
bent præsentiam, neq; portendunt actionẽ.  
Id quod tamen Deo non conuenit, vt qui in  
finitate & immensitate sui omnẽ locum nõ  
solum actuaalem, verum etiã possibilem com-  
pleat. Nam si alter mundus crearetur, imo si  
essent infiniti mundi Deus eos sua præsen-  
tia, & essentia compleret. Hinc effectum est  
vt magni theologi dixerint, Deum esse ex-  
tra mundum, non quidem actu, vt pote quia  
extra cœlum, siue extra hunc mundũ nihil  
sit, Deus autẽ non est in nihilo, sed possibili-  
ter, quia videlicet si de nouo mundus alius  
crearetur, Deus esset in illo, non per transla-  
tionem, sed per immensitatem, hoc est, non  
se de hoc mundo in illum alterũ transferẽ-  
do, sed illum, & infinitos alios sua immensi-  
tate attingendo, atq; replendo, quæ eius imẽ-  
sitas capacitatem cuiuslibet mundi non so-  
lum actu existentis, verũ etiam possibilis in  
infinitum excedit. Vide Antisiodorẽsem in  
summa libro primo. cap. 15. q. 1. & Ricardũ  
1.5. d. 37. q. 4.

obiecti. Existit tamen hoc loco summa dubitatio  
nam si Deus non est extra hunc mundum  
actualiter, quantumuis sit extra illum possi-  
biliter, sequitur vt eius essentia & præsen-  
tia hoc mundo actu determinetur, ac proin-  
de sit in loco per loci determinationem, &  
finitionem. Ita enim est in hoc mundo, vt  
interim actu non sit extra illum. Diluitur  
argumentum negando consequentiam. Nã  
Deus est in hoc mundo, non inclusus ta-  
men, siquidem infinitum non potest com-  
prehendi, capi, & cõcludi à finito, & sub hoc  
sensu Deus est extra mundum, id est, non  
concluditur à mundo, sed excedit illum in-  
finitate, & immensitate sui, sic tamen exce-  
dit, vt à mundo non sit exclusus, siquidem  
extra mundum nihil est, iam autem in nihi-  
lo Deus non est. Quocirca illud est ab Aug.  
elegantissime dictum. Deus est in mundo  
non inclusus, extra mundum non exclusus,

Dilutio.

Nota ver-  
ba Augu-  
tini.

supra mundum, non elatus, infra mundum  
non prostratus. Cum igitur Deus sit in mũ-  
do non inclusus, sequitur vt non sit in mun-  
do determinatione, & finitione loci. Addit  
Antisiodorẽsis, dici etiam posse Deum esse  
actu extra mundum, quatenus est in se ip-  
so, qui maior est omni mundo, Deus autem  
ipse, vt de sententia Damasceni supra dixi-  
mus, sui ipsius est locus.

QVÆSTIO. 7.

Verum esse vbiq; sit solius Dei propriũ?



Negationi videtur illud suf-  
fragari, quia proprium rei  
cuiusq; conuenit omni, &  
soli & semper, at esse vbiq;  
neq; soli Deo, neq; semper,  
non igitur esse vbiq; est proprium Dei. Ac  
non soli Deo conuenire esse vbiq; ex eo in-  
telligitur, quia multis alijs conuenit. Conue-  
nit siquidẽ vniuersali, de quo dicit Arist. 1.  
post. esse vbiq; & semper. Conuenit etiam  
materiæ rerum corporearum. Etenim cum  
non sit vacuum, nullus est locus non reple-  
tus corpore, at materia est pars corporis, ma-  
teria igitur vna existens est vbiq;. Conue-  
nit etiam ipsi vniuerso, quod est totũ quid-  
dam perfectum, id vero sic ostenditur. Ex-  
tra vniuersum nihil est, igitur vniuersum est  
vbiq;. Consequentia probatur, quia illud est  
vbiq; extra quod nullus locus est, quia neq;  
vllũ corp<sup>9</sup> est, quo repleatur. Adde quia ani-  
ma tota in toto corpore est, & tota in quavis  
eius parte, vnde si vnus dũtaxat homo esset  
in mundo, proculdubio anima illius vbiq;  
esset, vt pote quia tota in toto esset, & quan-  
libet illius corporis animati partem tota in-  
formaret. Non igitur esse vbiq; soli Deo cõ-  
uenit, sed alijs multis à Deo, ac proinde ipsi-  
us non est proprium. Accedit quia neq; sē-  
per conuenit, vt pote quia ab aternitate Deo  
non conueniat. Etenim Deũ esse vbiq; ni-  
hil est aliud, quã Deum esse in rebus creatis  
õnibus, ita vt nihil eius præsentia, & efficiẽ-  
tia effugiat, cum igitur res creatæ nõ fuerint  
ab æternitate, efficitur vt Deus ab aeterno nõ  
sit



fit in rebus, ac proinde esse ubiq; ab aeterno Deo non conueniat. Cum igitur esse ubiq; neq; soli Deo neq; semper conueniat, sequitur ut esse ubiq; non sit Dei proprium.

esse ubiq;  
q; primo  
& per se,  
& nō per  
accidens,  
soli Deo  
conuenit.

His tamen non obstantibus nos cum omnibus theologis asserimus, esse ubiq; primo, & per se, & non per accidens soli Deo conuenire, ac proinde eius esse propriū. Pro quo notandum est, illud esse in loco primo quod se toto est in loco, illud vero se toto est in loco, quod totum est in toto loco, & totum in quavis parte loci: at p̄inde ubiq; primo illud iam erit, quod se toto est in omni loco.

Quocirca si secundum diuersas partes in diuersis locis existeret, iam non esset ubiq; primo. Nam quod conuenit alicui interuētū partem, non conuenit ei primo.

Per se vero illud est in loco, quod est in loco non per aliud quod per se est in loco. Ita materia, & forma non per se sunt in loco, neq; itidem accidentia, illa siquidem interuentu totius quod componunt, hac vero interuentu subiecti, in quo in sunt, sunt in loco, ita fit ut illud per se sit ubique, quod se ipso, & non per aliud est in omni loco.

Et quoniam per se non solū significat nō per aliud, sed etiam necessario, & non contingenter, hinc fit ut illud per se sit ubiq; qd̄ necessario, & quocunq; casu possibili posito est ubiq; ita quod sit in omni loco, non solū ente, verum etiam possibili.

Per accidens vero illud est ubiq; , quod aut per aliud est ubiq; , veluti per partes, ceu si aliqua corporea moles totum mundum occuparet, illa esset ubique secūdu diuersas eius partes in diuersis locis existentes, aut quod est ubiq; aliqua suppositione facta: Ita si nullum aliud corpus esset, quam granū milij, illud esset ubiq; , utpote quia nullus alius esset locus, quam ille, in quo est.

Hinc iam intelligitur soli Deo conuenire esse in ōni loco primo, & per se, & non per accidens. Est siquidem ubique primo, quia se toto est in omni loco, & non secūdu partes, tum quia nullas habet partes, tum quia nihil est, ubi ipse non est, quicquid enim est per ipsum est. Est etiam per se ubiq; non so-

lum, quia non per aliud, sed etiam quia quavis positione facta, necessario sequitur ipsū esse ubiq; , & si infinita loca poneretur, omnes siquidem sua essentia, & praesentia compleret, alioqui non essent, quia nihil esse potest, nisi per ipsum, id quod competere creaturae non potest, nam & si Angelus operari posset in omni loco, qui nūc est, non tamen in omni possibili, ut pote cuius virtus sit finita. Ex quo subinde sequitur ut Deus sit ubiq; non per accidens. D. Thomas. 1. p. q. 8. ar. 4. & 1. Sent. d. 37. q. 2. ar. 2. & Quol. 11. q. 1. ar. 1. Egid. 1. Sent. d. 37. ar. 2. q. 2. Ricar. q. 3.

Ex his omnibus colligi potest haec ratio, p̄ quam probetur, soli Deo conuenire esse ubiq; , ratio autem est huiusmodi. Esse ubiq; importat se toto esse in omni loco, non solum ente, verū etiam possibili, atq; hoc soli Deo conuenit, & nulli alteri, nam & si totum vniuersum sit ubiq; , nō tamen se toto est ubiq; , siquidem est locus, in quo totum nō existat, sed per suas partes, & quavis Angelus possit esse in omni loco qui modo est, non tamen in omni possibili, & imaginario, igitur esse ubiq; solius Dei est proprium. Hinc iam intelligi potest dilutio argumentorum, quibus negatio ostendi videbatur.

DILUTIO ARGUMENTO.

AD primum igitur respondetur vniuersale esse ubiq; , & seper posse duobus modis intelligi, vno modo per abstractionem ab hic, & nunc, hoc est, loco, & tempore, quae sunt rerum singularum conditiones, & proprietates, quas sibi vniuersale non vendicat, & hoc modo hoc loco non spectatur esse ubiq; . Altero modo ut sit ubiq; , quia ubiq; sunt particularia, ibi existit, hoc modo conceditur vniuersale esse ubiq; , non primo tamen, & per se, sed per accidens, hoc est, per sua singularia: Adde quia non secūdu vnū, & idem esse, vniuersale est in multis: Deus autem vnus existens se toto, & secūdu vnū, & idem esse est ubiq; .

Ad rē  
vniuersa  
le quomo  
do sit ubi  
q;.

Hinc patet responsio ad secundū, nā & si materia vna existens secundum substantiā sit ubiq; , quia est in omni corpore, non tamē

Ad 2.

secun-

DISTINCT. 35. 36. 37. 38. 39. DE EXISTENTIA DEI IN REB.

secundum vnum, & idem esse est in omni corpore, sed secundum aliud & aliud esse, quod accipit ab alia, & alia forma: Adde quia non primo, & per se est ubique, sed per corpora, quorum est pars.

Ad 3.

Ad tertium negatur consequentia. Ad probationem vero dicitur, maiorem esse veram, si illud se toto sit in quolibet loco, & in toto loco, iam autem totum vniuersum & si totum sit in toto loco mundi, non tamen totum est in quolibet loco mundi, sed secundum suas partes, & ita non primo est ubique, sed per partes, quo etiam modo corporea moles replens totum mundum, si daretur, esset ubique. Cum igitur sit aliquis locus, in quo non sit totum vniuersum, nempe locus partis, sequitur ut ei non conueniat proprie esse ubique. Adde quia si ponerentur aliqua alia loca, totum vniuersum non esset in eis. Imo quaecumque loca fingantur animo, in quibus totum vniuersum sit, adhuc tamen non est ubique, siquidem non totum sit in quolibet loco, id quod tamen esse ubique in sua ratione requirit.

Ad 4.

Ad quartum respondetur, animam esse ubique per accidens, hoc est, aliqua data hypothese, veluti si nullum aliud in mundo esset corpus, quam illud quod anima informat: tunc enim anima esset ubique, siquidem tota est in toto illo corpore, & tota in quauis eius parte. Ad eundem etiam modum si in mundo non esset nisi vnum corpus, & Angelus ageret in illud corpus, proculdubio Angelus esset ubique, ut pote quia primo, & per se ageret in totum corpus, & in quamlibet eius partem, iam autem ibi adest, ubi operatur. Ceterum esset ubique per accidens, hoc est aliqua suppositione facta. Deus autem per se, hoc est, qualibet suppositione facta, est ubique, idque necessario, quia nihil sine Deo potest subsistere.

Ad 5.

Ad quintum respondet doctissimus Egidius. i. d. 37. art. 2. q. 3. adhibita distinctione. Namque semper esse, & ubique esse accipi possunt tribus modis, primo modo per absolute a tempore, & loco, quo modo vniuersalia dicuntur esse semper & ubique, quia scilicet non determinant sibi locum, & tempus. Secundo modo dicitur aliquid esse se-

per, & ubique, quia est in omni tempore, & in omni loco. Tertio modo esse semper idem valet, quod esse indeficientis durationis, & hoc modo maxime semper est, quod aeternum est, & esse ubique idem sonat, quod esse in omnibus quae sunt, siue in omni loco qui est. Subijciuntur ergo aliquot conclusiones. **1. Propo.** Prima conclusio. Primo modo ab aeternitate conuenit Deo esse ubique, & semper ei conuenit esse sine materia, & non determinari conditionibus materiae, quae sunt hic, & nunc.

Secunda conclusio. Esse ubique, & semper secundo modo non conuenit Deo ab aeterno, ut pote quia non ab aeterno fuerint tempora, & loca, quae ipsa supponit esse ubique, & semper, acceptum secundo modo. Nam quemadmodum Deum esse in rebus, supponit existentiam rerum, sic etiam esse ubique, & semper, hoc est, in omni loco, & tempore, supponit existentiam locorum, & temporum, unde quemadmodum non dicimus Deum esse in rebus ab aeterno, quia ab aeternitate res non extiterunt, sic etiam non dicimus Deum esse in omni loco, & tempore ab aeterno, quia loca & tempora non extiterunt.

Tertia conclusio. Esse semper, & ubique tertio modo conuenit Deo ab aeterno. Probatio. Quod indifferenter est, maxime semper est, atqui aeternum indifferenter est, igitur maxime semper est, cumque Deus sit aeternus, sequitur ut maxime semper sit, ac proinde esse semper, prout dicit indeficientem durationem, eidem ab aeternitate conueniat.

Sic etiam esse ubique tertio modo acceptum eidem conuenit ab aeterno, tum quia ante quam mundus esset, Deus erat, & in se ipso erat, semper igitur fuit verum dicere, Deum esse in omnibus quae sunt, tum quia ante quam mundus esset, Deus erat, & ipse locus sui ipsius erat, igitur semper fuit verum dicere Deum esse in omni loco qui est, quia igitur ante mundi constitutionem nulla alia res erat, nisi Deus, neque aliquis alius locus erat, nisi ipsemet, hinc fit ut Deus ab aeternitate fuerit in omnibus, & in omni loco, id quod semper verum fuit, cum ante mundi procreationem,

Deus quo modo fuerit ubique ab aeterno.

P  
mit  
thor  
plic  
nem  
qua  
qua  
nnt

nem, tum post mundi creationem, hæc est præclara doctrina eruditissimi doctoris nostri, quã sequitur Argentina l.d. 37. art. 1. ad quartum argumentum, quam & nos etiam vehementer comprobamus.

Hinc sequitur verum esse, & quod Deus ab æterno non fuerit ubique, id quod grauissimi docent, & affirmant theologi, nempe D. Thomas l.d. 37. q. 1. art. 3. & Ricardus l.d. 37. q. 1. ar. 3. & quod ab æterno fuerit ubique, quod ipsum & nos cum Egidio, & Argætina, cūq; D. Bonauentura l.d. 37. docemus, atq; asserimus. Etenim non fuit ubique ab æterno, accipiendo esse ubique pro eo quod est esse in omni loco, hoc siquidem supponit & rerum, & locorum existentiam, & sub hoc sensu D. Thomas, & alij negauerunt esse ubique cõuenire Deo ab æterno. Fuit autem ubiq; ab æterno, accipiendo esse ubique pro eo quod est esse in omnibus quæ sunt, siue in omni loco qui est, siue pro eo, quod est esse immensum, ut ait Bonauentura.

Secundo sequitur, quod & si non sit verũ dicere, Deum fuisse in rebus ab æterno, est tamen verum dicere, Deum fuisse ab æterno in omnibus rebus. Namq; esse in rebus cõnotat actualem existentiam rerum, at esse in omnibus rebus cõnotat existentiam Dei in rebus quæ sunt, id quod ab æternitate Deo conuenit, nam ante mundi effectiõnem, cū nulla res esset alia, nisi Deus, Deus erat õnis res quæ erat, ac proinde Deus erat in omnibus, siue in omni re.

Præter hæc de existentia Dei in rebus, & in loco hæc dissertisse sufficiat. Multa hoc eodem loco disputantur à theologis de loco, & motu Angelorũ, oblata occasione, & causa dissertendi de loco Dei, à quibus tamen explicandis, & excutiendis nobis hoc loco superse- dendum existimauimus, quoniam earum rerum tractatio videatur potius ei loco cõgruere, in quo de natura Angelica agitur, id quod fit in secundo libro. Eo igitur harum rerum tractationẽ, disputationẽq; reijcimus.

DE IMMVTABILITATE DEI.

QVAESTIO. VNICA.



Quoniam Magister hac distinctione docuit Deũ neq; per tempora mutari, contra quod cõuenire docet creaturæ, siue corporeæ, siue incorporeæ, illa siquidem per loca, & tempora mutatur, hæc vero per tempora, non per loca, sequitur ut de immutabilitate Dei differamus, qua in re duo sunt nobis capita expendenda, prius caput est, an Deũ sit omnino immutabilis, posterius caput est, utrũ esse imutabile, sit proprium Dei, ita scilicet, ut nulli rei creaturæ conueniat.

Ac quod ad prius caput attinet, hæc statui- mus conclusionem. Deus est omnino imutabilis. Cui conclusioni diuinæ literæ suffra- gantur. Dicitur enim numero. 23. Nõ est Deus quasi homo ut mentiatur, aut ut filius ho- minis, ut mutetur. Item Malach 3. Ego do- minus, & nõ mutor. Item Psalm. 99. de imu- tabilitate Dei regius vates sic cecinit. Initio tu domine terrã fundasti, & opera manuũ tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autẽ per- manes, & omnes sicut vestimentum ve te- rascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Postremo Iacobi primo dicitur, apud quem non est transmutatio, neq; vicissitudinis obunbatio.

Deus est omnino imutabilis.

Num. 23.

Malach. 3.

Psalm. 99.

Iacobi. 1.

Porro id ratione sic ostenditur. Omnis rei mutabilitas aut attenditur penes esse, aut se- cundum locum, aut secundum actionem in- tellectus, & volũtatis, id quod fit aut transe- undode vna intellectuone, aut volitione ad alteram, aut nouam intellectuonem, siue vo- litionem acquirendo: atqui Deus nullum genus propositæ mutabilitatis subit, est igitur Deus omnino immutabilis. Minor ostẽ- ditur quoad mutabilitatem secundum esse. Etenim mutabilitas secundum esse in eo cõ- sistit, ut aut vnum & idem possit subesse pri- uationi eius esse quod habet, acquirendo sub- inde aliud esse, aut ut õnino desinat esse, atqui

atqui Deus neutro modo est mutabilis, igitur Deus non est mutabilis secundum esse. Prior illa minoris particula ex eo patet, quia omne quod illo modo mutatur est in potentia ad aduenientē actū, atqui Deus est actus purissimus excludens omnem potentialitatem, Deus igitur illo modo est immutabilis.

Præterea, id quod illo modo mouetur necessario est compositum, siue ex materia, & forma, siue ex subiecto, & accidente. siquidē oporteat aliquid vnum, & idē manere sub utroq; transmutationis extremo successu quodam, atqui Deus est omnino simplex, non potest igitur Des genus illud mutabilitatis subire.

Postremo, id quod mouetur illo modo, motu suo aliquid acquirit, & pertingit ad aliquid ad quod prius non pertingebat, at Deus non potest acquirere aliquid, quod prius non habebat, aut pertingere ad aliquid, ad quod prius non pertingebat, ut pote quia sit infinitus, ac proinde plenitudinē perfectionis totius esse comprehendat, atq; cōtineat, igitur illo modo est immutabilis.

Porro posterior minoris particula ex eo constat, quia Deus est Ens summe necessarium, ex quo subinde efficitur ut non possit non esse, ac proinde non potest sic mutari ut omnino desinat esse: vtraq; consecutio nota est, antecedens ostenditur à doctissimo Scoto. i. d. 8 q. 4. ad vltimū, in hunc modum. Id quod habet ex se esse, & est omnino independens (est aut illud omnino independēs, qd sublato omni alio adhuc habet esse) est summe necessarium, at Deus ex se habet esse, ut qui sit ipsum esse, largiens cunctis rebus esse, estq; omnino independens, ut qui omni alio sublato adhuc habeat esse, est igitur Ens summe necessarium, necessarium inquam non solum necessitate physica, quæ in eo consistit, ut aliquid careat potentia ad nō esse, verum etiam necessitate logica, est autem necessarium necessitate logica cuius oppositum implicat repugnantiam, ceu Deū non esse, Hominem non esse animal. Est igitur Deus immutabilis secundum esse, nō solum simpliciter, sed etiam ex adiunctio-

ne, nempe secundum esse tale.

Est præterea Deus immutabilis secundū locum. Nam quod mouetur secundum locum, deserit locum in quo est, ita ut iam ibi non sit, cum prius ibi fuerit, & acquirit nouum locum, ita ut nunc ibi sit, vbi prius non erat, sed Deus est vbique etiam quacūq; positione facta, ut patet ex superiore quæstione, igitur non potest nō esse, vbi prius erat, non mouetur igitur secundum locū, & cōfirmatur, quia si aliqua corporea moles ea esset magnitudine ut mundum totum occuparet, proculdubio esset immobilis secundum locum, non enim esset locus, ad quē moueretur, ut pote quia omnem locum sua magnitudine compleret, cum igitur Deus sui immensitate omnem locum compleat, relinquitur ut sit immobilis secundū locū.

Postremo non est Deus mutabilis secundum intellectum & voluntatem, ita ut transeat de vna intellectione ad alteram, aut de vna volitione ad alteram, ut pote quia vnica & simplici intellectione omnia simul intelligat, ut iam alibi docuimus, & vnica etiam, ac simplici volitione omnia simul velit: Neq; etiam novam aut volitionem, aut intellectionem potest habere, ut qui ab æterno sese ad volendum omne volibile determinauerit, & omne intelligibile semper intellexerit, & eodem modo. Id quod est à nobis iam alibi explicatum.

Cum igitur omnis mutabilitas, & variatio attendatur aut secundum esse, idq; vel simpliciter, vel ex adiunctione, aut secundū locum, aut secundum intellectum, aut voluntatem, Deus autem nullo horū modorū sit mutabilis, sequitur ut sit omnino immutabilis. Id quod hac etiam ratione in toto genere confirmatur. Omnis motus videtur procedere ab eo, quod est immobile secundum illam speciem motus, quod ipsum aperte clarant rerum sublunarium alterationes, generationes, & corruptiones, quæ ad corpus cælestetāquam ad primum mouēs referuntur, ipsum autem secundū illas species motus minime mouetur, est siquidem cælum ortus & interitus, & omnino omnis alterationis

expers, cum igitur Deus sit principium primū  
 omnis motus, siue mutationis tam physicae,  
 quam metaphysicae, quae sit secundum actio-  
 nes immanentes intellectus, & uoluntatis,  
 efficitur ut Deus sit omnino immutabilis.  
 Confirmat hoc etiam quam maxime & cō-  
 munis veterum existimatio, atq; sententia,  
 qui quasi ab ipsa ueritate coacti posuerunt  
 primum omnium principium esse immobi-  
 le, ut annotauit D. Thomas. i. p. q. 9. ar. 1.

Esse om-  
 nino im-  
 mutabile  
 soli Deo  
 cōuenit.

Secunda conclusio. Esse omnino immu-  
 tabile soli Dei conuenit. Ac Deo illud con-  
 uenire iam docuimus, reliquum est ut doce-  
 amus illud nulli alteri conuenire, hoc uero  
 sic ostendimus. Omnis res creata est muta-  
 bilis, non solum per potentiam, quae est in al-  
 tero, uerum etiam quodammodo per potē-  
 tiam quae est in ipsa, igitur nulli creaturae cō-  
 uenit esse omnino immutabile. Cōsequutio  
 nota est, antecedens quoad priorem partē  
 sic ostenditur, Deus res ipsas, cum prius non  
 essent, potuit ad esse perducere, quas easdē  
 perpetuo conseruat, atq; fuerit impertiendo  
 eis esse, igitur & easdem potest, postquam ex-  
 titerunt, in nihilum redigere, easdem non  
 conseruando. Est igitur omnis creatura mu-  
 tabilis per potentiam, quae est in altero, qua-  
 tenus scilicet interuētū illius potētiā, possunt  
 ad nihilum reduci, quemadmodum de ni-  
 hilo ad aliquid sunt perductae.

Porro posterior pars antecedentis ostēdi-  
 ditur in hunc modum. Illud est mutabile p  
 potentiam quae est in ipso, quod potest sub-  
 esse utriq; termino transmutationis, nempe  
 esse, & non esse successu quodā, atqui in ōni  
 creatura cernitur aliquid, quod possit mane-  
 re sub priuatione eius esse, quod habet, siue  
 substantialis, siue localis, siue secundum or-  
 dinem ad finē, siue applicationis uirtutis ad  
 diuersa, id quod pertinet ad esse accidenta-  
 riū, omnis igitur creatura est mutabilis per  
 potentiam quae est in ipsa, siue secundū sub-  
 stantiam, siue secundum accidēs. Minorem  
 ostendit D. Thomas inductione. i. p. q. 9. ar.  
 2. Etenim tria sunt genera rerum ex quibus  
 uniuersitas constituitur, nempe caelestia cor-  
 pora, sphaera elementorum cum mistis, &

substantiae separatae, in quibus omnibus re-  
 peritur aliquid idem manens secundū sub-  
 stantiam, qd potest substare ipsi non esse, in cor-  
 poribus quidem sublunariis materia, quae  
 potest subesse priuationi formae substantia-  
 lis. Quo efficitur, ut corpora sublunaria per  
 potentiam, quae est in ipsis sint mutabilia se-  
 cundum esse substantiale. Et quoniam pos-  
 sunt etiam subesse priuationi accidentis, ac-  
 cidentis inquam communis, & non proprii  
 consequentis principia essentialia, hinc fit  
 ut eadem corpora sint etiam mutabilia se-  
 cundum esse accidentarium.

In corporibus uero caelestibus non inest ali-  
 quid, quod possit stare sub priuatione formae  
 substantialis, nempe cum illa forma expleat  
 totam potēntialitatem, & appetibilitatem  
 materiae, ac proinde illa corpora per potē-  
 tiam quae est in ipsis nō sunt mutabilia quo-  
 ad esse substantiale, sunt tamen mutabilia  
 quoad esse accidentale locale, siquidē subie-  
 ctū subesse potest priuationi huius, uel illi-  
 us loci, saltem secundum partes.

In substantiis porro immaterialibus nihil  
 omnino reperitur potēntiale, quod possit sta-  
 re sub priuatione ipsius esse substantialis. Nā  
 substantiae separatae sunt formae simplices p  
 se subsistentes, igitur nihil est in ipsis quod  
 possit stare sub priuatione esse substantialis.  
 Antecedens supponitur, consecutio proba-  
 tur, quia illud esset necessario aliqua pars  
 substantiae, ceu materia in corporibus sublu-  
 nariis, cum igitur illae substantiae sint sim-  
 plices formae nō constitutae ex partibus sub-  
 stantialibus, relinquitur in ipsis nihil esse, qd  
 possit stare sub priuatione ipsius esse sustā-  
 tialis, ac proinde non sint mutabiles secun-  
 dum esse substantiale per potentiam quae est  
 in ipsis.

Præterea, in forma nō est potēntia ad non  
 esse, tum quia esse consequitur formam, tan-  
 quam proprius effectus, tum quia nihil cor-  
 rumpitur, nisi quatenus amittit formam,  
 ac substantiae separatae sunt formae perse  
 subsistentes, igitur in ipsis nihil est potēnti-  
 ale, quod possit stare sub non esse, ac proin-  
 de per potentiam quae est in ipsis non sunt  
 mu-

mutabiles secundum esse. Ceterum per potentiam quæ est in ipsis sunt mutabiles, tum quoad electionem, quæ respicit ordinem ad finem, quatenus per naturam effici possunt bonæ, aut malæ, tum per applicationem virtutis ad diversa, quatenus attingere possunt loca, quæ prius non attingebant, cum sint finita virtutis, & essentia. Qua de re in secundo libro disputabitur.

Sunt igitur omnes creaturæ mutabiles per potentiam, quæ est in ipsis, vel secundum esse substantiale, ut sublunaria corpora, vel secundum esse locale tantum, ut cælestia corpora, vel secundum electionem, & applicationem virtutis ad diversa, seu substantiæ separata. Deus autem gloriosus est omni modo immutabilis, nempe secundum esse, secundum locum, secundum intellectum, & voluntatem, secundum applicationem virtutis ad diversa, non enim eius virtus ad aliud modo pertingit, ad quod prius non pertingebat, idque tam secundum potentiam quæ est ipso, quam secundum potentiam, quæ est in alio, ac proinde esse omnino immutabile, est divinitatis proprium.

REFUTATIO CONCLUS.

2. Arg. Reliqua est istarum conclusionum refutatio. Ac prima quidem conclusio his argumentis refutatur. Sapientia 7. dicitur. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia, atqui sapientia de qua ibi est sermo, est sapientia increata, quæ est ipse Deus, relinquatur igitur ut Deus sit mutabilis.

3. Arg. Præterea, appropinquare motum declarat localem, atqui Deus dicitur hominibus appropinquare, iuxta illud Iacobi. 4. appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, Deus igitur secundum locum est mutabilis.

4. Arg. Præterea, penitentia mutationem quædam mentis significat, & voluntatem de una voluntate ad alteram translata, at divina litteræ penitentiam Deo attribuunt, dicitur enim Genes. 6. videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, penituit eum quod hominem fecisset in terra. Item Hier. 8. dicitur. Si penitentiam egerit gens illa à malo quod locutus sum aduersus eam, pœ-

nitentiam & ego agam super malo quod cogitavi facere eis, hoc est, propositum mutabo eis nocendi, & in ipsos vindicandi, videtur igitur Deus secundum electionem mutabilis.

4. Arg. Item mouens se, modo aliquo est mutabilis, atqui Deus se ipsum mouet, inquit enim August. 10. super Genesim ad litteram, quod spiritus creator mouet se, non per locum, neque per tempus. Dicitur etiam distinctio 37. cap. 9. Diuinam essentiam neque temporibus, neque locis, sed affectu, & cognitione moveri, Deus igitur est mutabilis secundum actiones immanentes intellectus, & voluntatis.

5. Arg. Præterea, fiunt creaturæ, quæ antea non erant, & Deus est in eis, cum antea non esset, est igitur Deus mutabilis.

6. Arg. Postremo, transiens de otio ad actum mutatur: atqui Deus nunc creat actum, & infundit gratiam actum, cum tamen prius hoc non faceret, videtur igitur Deus saltem de habitu ad actum mutabilis.

7. Arg. Secunda conclusio hoc argumento refutatur. Est aliqua creatura, quæ tam per potentiam, quæ est in ipsa, quam per potentiam quæ est in alio est immutabilis, igitur esse immutabile non conuenit soli Deo. Conclusio firma est, antecedens ostenditur. Angelica natura per potentiam quæ est in ipsa est immutabilis secundum esse: est etiam per potentiam quæ est in alio, igitur est aliqua creatura omnino secundum esse immutabilis. Antecedens quoad priorem partem satis constat ex his quæ diximus pro confirmatione secundæ conclusionis, quoad posteriorem vero sic ostenditur. Ad necesse esse sequitur impossibile non esse, sed creatura Angelica ab intrinseco est ens necessarium, igitur impossibile est eam non esse, atqui ad impossibile nulla vis, nullaque potentia se extendit, igitur natura Angelica neque per externam potentiam potest non esse.

Notandum doctissimum Scotum. 1. Sent. d. 8 q. 4. hac ratione effectum esse voluisse, nullum ens aliud à primo ente esse necessarium. Id quod nos tertio huius questionis membro accuratius expendemus.

DILVTIO ARGVMENTORVM.

**A**D primum respondetur, Diuinam sapientiam dici mobilem, non quia in se mouetur, sed quatenus procedit in effectus, suam eis similitudinem imprimendo. Diuinæ enim bonitatis diffusio in res, quidam esse dicitur diuinæ sapientiae in res ipsas processus & motus, authore D. Dionysio 1. capite de caelesti Hierarchia, quo loco sic ait, candidissimæ illius lucis processus omnis, à patre motus, in nos largissima benignitate peruenit, atq; dimanat. Patrem motus appellat eum, quæ D. Iacobus patrem luminum appellat. Vnde quemadmodum Deus pater dicitur pater luminum, & quia fons est luminis, & quia omnis ad nos ab eo illuminatio dimanat. Ita etiã pater motus dicitur, quia est effectrix causa omnis motus in rebus creatis, eius præsertim quo ad pietatem excitamur, & ad Deum conuertimur. Vnde eodem loco D. Dionysius inquit, summã Dei virtutem nos ad cogentis ad se omnia patris, vnitatem, simplicitatẽq; conuertere.

Diffusio diuinæ bonitatis in res, est quidam diuinæ sapientiae processus in res ipsas.

Dicitur autem diuina sapientia omnibus mobilibus mobilior, quoniam bonitatẽ suam in omnes, vsq; ad infimas creaturas diffundit. Nulla est enim creatura a deo infima, ad quam non perueniat diuinæ bonitatis diffusio, tametsi creaturis nobilioribus diuina donitas abundantius comunicetur, ignobilioribus vero minus abundanter. Adsimilatur autem hæc diuinæ bonitatis in creaturas diffusio motui, & motui progressiuo, motui quidem, quoniam diuina sapientia secundum similitudinem suam efficitur in creatura, motui vero progressiuo, quoniam diuina sapientia similitudinem suam efficit in creatura, ordine quodam, vt scilicet diuinæ similitudinis participes prius efficiantur creaturæ nobiliores, posterius vero, ignobiliores prius inquam, non tempore, sed natura, vt sapienissime annotat D. Thomas 1. d. 9. quæst. 3. art. 1.

Ad secundum respondetur, illa per translationem, ac similitudinẽ dici: quemadmo-

dum enim sol dicitur fenestrã intrare: quando eius radij ad domũ pertingunt, Ita etiam dominus Deus dicitur nobis appropinquare quando influxum bonitatis eius, & gratiæ percipimus, contra vero a nobis descedit, quoniam in nos non influit.

Ad tertium respondetur, penitentiam deo attribui per similitudinem quoq; , non per proprietatem, idque quoad effectum externum: quemadmodum enim Deus dicitur irasci, non quia iræ perturbatione comouetur, sed quia effectus edat hominis irati, sic etiam Deus dicitur penitentiam habere, nõ quia mentem mutet, & voluntatem veterẽ abijciat, & aliam subinde suscipiat, sed quia effectus externo se habeat ad similitudinem hominis mentem mutantis, & veterem voluntatem deponentis, vt qui aut insectũ reddat quod fecerit, aut effectus non agat, quod se effecturum pollicitatione, aut cõminatione declarauerat. Quicquid tamen contingit, id aeterno Dei consilio decretum fuit, atq; definitum.

Ad 3.

Poenitere quomodo dicitur Deus.

Ad quartum respondetur, Augustinum loqui more Platonico. Etenim Plato motus nomen omni operationi, etiam immanenti, accommodauit. Vnde apud Platonem primum mouens se ipsum mouere, nihil est aliud, quam primum mouens se ipsum intelligere, & amare, quæ ipsa non sunt motus, sed operationes quadam. Et hoc ipsum etiam significat Deum moueri affectu, & cognitione, id est, intelligere, & velle, quæ motus quidam sunt latissime, & improprie.

Ad 4.

Ad quintum respondetur negando consequentiam, Deus enim citra sui mutabilitatem, de nouo est in loco in quo antea nõ erat, vt pote quia locus ille non erat, & est in creatura de nouo, in qua antea non erat, vt pote quia illa creatura non erat. Huius rei causa est sua immensitas per quam attingit eminenter, & virtualiter omnem locũ, & omnem creaturã. Vnde si crearetur nouus aliquis locus, ille pculdubio esset de nouo in illo loco, nõ quidẽ mutatiõẽ locali, sed

Ad 5.

praesentialitate actuali, quae tamē prius fuerat virtualis in sui immenitate contenta.

Ad eundem etiam modū si fiant creaturę de nouo, est ille quidē in illis de nouo, nulla tamen mutatione sui, sed praesentialitate actuali, quam antecessit virtualis. Vnde si qua ibi mutatio interuenit, illa ad creaturam pertinet, quae de nouo est. Similiter & etiam Deus definit esse in loco, in quo antea erat, non quia ipse locum deserat, sed quia locus ipse esse definit. Et in creaturis etiā Deus definit esse, nō quia creaturas deserat, nā si eas desereret, omnino esse non possent, sed quia ipsamet creaturę desinūt esse.

**Ad 6.** Ad sextum respondetur, effectum nouū consequi voluntatem Dei aeternam. Deus enim quicquid agit in rebus creatis, ab aeternitate agere decreuit. Nā operatio Dei externa nihil addit super actionē immanentē nisi respectum ad solum effectum temporarium. Est siquidem actio transiens Dei ipsa eius volitio, & intellectio, connotando effectum temporariū. Si dicas volitio Dei est aeterna, sed actio transiens est ipsa dei volitio, igitur actio transiens est aeterna. Negandam putamus consecutionē. Nam actio transiens est ipsa Dei volitio non absolute, sed cum habitudine actuali ad effectū temporarium, quam habitudinē non habuit Dei volitio ab aeterno, sed in tempore, neque tamen iā inde sequitur quod deus sit mutatus, quia habitudo dei ad creaturā de nouo, nihil reale apponit Deo, sed solum creaturā, qua de re iam supra disputauimus. De operatione etiam Dei transeunte loco suo, nempe secundo sententiarum, latius disputabimus, iuuante domino, ac vires nobis, vitamque suppeditate.

**Ad 7.** Quod attinet ad argumentum contra secundam conclusionem, omnino censendū est, omnem rem creatam esse logice possibilem tametsi sint aliquę physice necessariae, est autem illud possibile logice, cuius neutra pars contradictionis de, est, secūdo adiacente implicat contradictionem, hoc est, quod nullam habet repugnantiam ad esse, & non esse. Aequē enim non repugnat

caelum esse, atque non esse, similiter & Angelum. Est autem illud Physicē necessariū, quod in se non habet potentiā ad non esse, cui opponitur possibile Physicum, hoc siquidem est illud, quod habet in se potentiā ad non esse, quemadmodum etiā possibili logico ex opposito aduersatur necessarium physice, Nanque necessarium physice est illud, cuius altera pars contradictionis, siue de, est, secundo adiacente, siue de est tertio adiacente, implicitam continet repugnantiam, ceu Deum non esse, hominem non esse animal, hinc iam colliguntur multae, etq; verissimae propositiones.

Prima propositio. Omne Ens creatum est possibile, logice acceptum, vt pote quia atque non repugnat illud esse, atq; non esse.

Secunda propositio. Non omne Ens creatum est possibile physice, siquidē non omne Ens creatum potentiā in se internam contineat ad non esse, vt pote quia non reperitur in omni ente creato aliquid potentiale, quod possit stare sub vtroque oppositorum, vt patet in caelo, & in Angelis.

Tertia propositio. Aliquod ens creatum est necessarium physice, nempe quia sit aliquod ens creatum, ceu Angelus, & caeleste corpus, quod careat potentia interna ad non esse.

Quarta propositio. Nullum ens creatum est necessarium logice, nempe quia non habeat necessariā habitudinem ad esse, sic enim solus Deus gloriosus est ens necessariū.

Hinc iam facile constare potest argumenti explicatio. Damus Angelū per potentiā internam esse immutabilem secundū esse, ac proinde Phys. necessarium, negamus tamen id ei etiam conuenire per potentiā externam, potest enim non esse per potentiā, quae est in alio. Cum vero contra obijcitur ad impossibile nullam se potentiā extendere, dicimus id esse verum in eo quod est impossibile simpliciter, nō tamē in eo quod est impossibile secundum quid, s. per carētiā potentiā internae ad non esse, quo modo est impossibile, Angelū, & caelum non esse.

Hinc

Possibile  
logicum  
Possibile  
physicu.

Omne es  
creatum est  
possibile  
possibili  
tate logi-  
ca, non  
physica.

Duz  
gistri  
diuin  
uider  
infig  
sente

Deu  
nib  
de  
det,  
cur  
nō  
den  
do

Qu  
cap  
di  
ui  
fu  
ft  
A



Hinc iam patet illius quaestiois breuissima explicatio, qua quaeri consuevit, vtrum aliquod aliud ens à primo ente sit necessarium, quae eandem nos accuratius, longiusq; tractauimus dist. 8. q. 2.

**DISTINCTIO XXXIX.**

*De Diuina providentia.*



**D** sine trigessimae nonae distinctionis agit Magister de diuina providentia, non quidem ex instituto, sed occurrens cuidam diuini Hieronimi sententiae,

quae ijs, quae supra docuerat, nempe Deum semper & simul omnia scire, aduersari aperte videbatur, vt patet ex contextu literae Magistri.

Quocirca doctissimus Magister diuini Hieronimi sensum, mentemq; explanans, duas subiicit de diuina providentia sententias prior est huiusmodi. Deus de cunctis quae condidit providentiam & curam vniuersaliter habet, vt scilicet habeat vnuquodq; quod sibi debetur, & conuenit, iuxta illud quod dicitur sap. 12. Neq; enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.

Posterior sententia. Specialem Deum providentiam, & curam habet creaturarum rationalium, quibus recte viuendi legem praescripsit, ac premia promisit. Quae eandem curam, & providentiam Deus non habet de irrationabilibus, id quod significauit Apostolus dicens 1. Cor. 9. non esse curam Deo de Bobus, id est, non eodem modo Deum providere irrationabilibus, & rationalibus. Omnibus tamen prouidet, & curat omnia, vt qui gubernet omnia. Haec doctissimus Magister in litera cap. 4.

Quocirca nobis iam est de diuina providentia, non quidem breuiter, sed latius, fufiusq; differendum, suntq; a nobis quatuor potissimum capita excutienda, primum, an sit providentia, secundum quid sit, tertium an de

us immediate rebus omnibus provideat, quartum vtrum diuina providentia rebus prouisis necessitatem imponat,

Haec quatuor capita potissima tractabimus, interim maiorum vestigia secuti.

**QVAESTIO. I.**  
*Vtrum sit in Deo rerum providentia?*

**D**e providentia diuina multi dubitauerunt, quorum alij providentiam omnino sustulerunt, alij vero ex parte solum, nempe quarundam rerum providentiam Deo concedentes, aliarum vero, omnino adimenes. Quocirca omnium istorum sunt iam nobis nomina, sententiae, & fundamenta proferenda.

Ac diuinam quidem providentiam, omnino sustulerunt Democritus, & Protagoras, quos eisdem secutus est Epicurus Neoclis filius, vt refert Cicero secundo de natura deorum libro, refert etiam Lactantius in libro de ira Dei cap. 4.

Reliquum est vt impietatis huius sententiae fundamenta exponamus. Ac primum illi quidem ad asserendam impiam sententiam argumentum sumunt ex ipsius Dei beatitudine, & felicitate: sicq; argumentatur. Deus summe beatus est, igitur Deus nihil omnino curat, non modo temporarium, & corruptibile, sed neq; aeternum, & incorruptibile. Ans supponitur. Consecutio probatur. Providentia, cura, & administratio esse non potest sine negotio, sollicitudine & labore, id quod cernitur in nobis, atqui negotium, labor, & sollicitudo impedimenta sunt beatitudinis, vt quae ea sint natura, vt molestia hominem afficiant, & quiete, ac tranquillitate animi ipsum spolient, iam aut molestia, & perturbatio a statu beatitudinis absunt quam longissime, igitur si deus summa beatitudine fruatur, omnino nihil eum curare, nihil providere, nihilq; agere, & moliri necesse est. Vnde Cicero 2. de natura Deorum libro ait, Epicurum Deos quosdam monogrammos & nihil omnino agentes fuisse commentatum. Hanc

Quid sit  
An sit im  
mediata,  
An neces  
sitate  
imponat.

Negatiu  
providen  
tia, qui  
dam oio  
ea nega  
uerunt,  
quida ve  
ro ex par  
te.

Democri  
t9, Prota  
goras Epi  
curus di  
uina p  
uidentia  
omnino  
sustule  
runt.

Argumē  
tū primū  
sumotū  
ex Dei fe  
licitate,

Cicero.

Dux Ma  
gistri de  
diuina p  
uidentia  
inignes  
sententia

Deus om  
nibus qui  
de prou  
idet, & oia  
curat,  
non eodem mo  
do.

Quatuor  
capita de  
diuina p  
uidentia  
sunt tra  
ctanda,  
An sit

DISTINCT 39. DE DIVINA PROVIDENTIA:

Vergilius. Epicuri sententiam, & cōmentū videtur secutus Vergilius. 6. Eneidos, sic canens. Scilicet is superis labor est, ea cura quietos, sollicitat.

Argumentū secundū dū sūptū ex Dei, imparibilibitate.

Secundum argumentū sumitur ex ipsius summi Dei *απαθείας* hoc est, affectuū vacuitate. Deus enim inquit Epicurus, nullo affectu commouetur, igitur in Deo neq; cura vllius rei, neq; prouidentia est. Cōsecutio firma est. Nam si Deus res curaret, non posset nō affectibus commoueri, aut enim ira concitatus animaduerneret in malos, aut beneuolētia, & amore inductus beneficia cōferret in probos. Esset etiam in rebus quod ei aut sollicitudinem inijceret, aut metum incuteret, aut voluptatem, & dolorem afferret. Porro antecedens ex eo constat, quia affici, & perturbari, imbecillū est. Cū igitur in Deū nulla affectio, nullaq; cōmotio cadat, relinquatur vt Deus nihil omnino curet, nihilq; gerat, & administret.

Tertiū argumentū sumitur ex malis quæ fiūt in mūdo.

Tertiū argumentū petitur ex sceleribus, & peccatis, quæ perpetrantur in terris, quæ proculdubio non extarent, si Deus hæc inferiora gubernaret. Id quod conficitur, & colligitur in hunc modum. Nam Deus, in quiunt, aut scit mala quæ fiunt, aut nō scit, si nō scit, non est Deus, si scit, vel vult ea fieri, aut nō vult. Si vult, malus est, vt pote qui velit mala, si non vult, ergo aliquid fit in terris contra ipsius voluntatem, & ex consequenti nō est omnipotens, ac proinde neq; Deus est. Hoc argumentum apud eos est vehementissimum.

Quartū argumentū sumitur ex rerū cōtingentia.

Quartū argumentū ducitur ex rerū contingentia, quæ profecto nulla esset, si in Deo esset omnium rerū prouidentia, quādoquidē cōtra ordinē a Deo præstitutū fieri nō possit. Nō enim possunt res subterfugere ordinē diuinitus ipsis præstitutū. Et hoc argumentū cōmune est omnium prouidentiam negatiū siue in toto, siue in parte. Vnde Claudianus in Rufinū sic ait.

Claudianus dubitat de prouidentia.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mētē. Curarent superi terras, an nullus inesset, Author, sed incerto fluerent mortalia cursu.

Iob. 22.

Florū impiā sententiā apud Iob. 22. expressit

Eliphaz Themanites sicaiens, Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, neq; nostra consyde rat. Circa cardines celi perambulat. Quam eandem sententiā David Psalmo. 72. exposuit, sic eam sub nomine impiorū referens, posuerunt in cælū os suū, & dixerunt, si est scientia in excelso?

Psal. 72.

Est autē magnopere annotādum, id quod Lactantius etiam annotauit, in libro de ira Dei cap. 4. impios diuinam prouidentiam ē medio sustulisse, vt liberius & licentiosius peccarent, sperantes, vt inquit Lactantius, peccatis suis impunitatem. Etenim si nulla aut bonis præmia, aut flagitiosis supplicia sunt diuinitus decreta, nullus virtuti, & sanctitati, sed omnis vitio, & impuritati relinquatur locus: iuxta illud in Psalmis dictū, dixit in sapiens in corde suo, non est Deus, vindicans. ff. scelera, & peccata. Ex qua impia cogitatione consecutum est, id quod statim propheta subiungit. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum.

Lactant.

Impij impunitate peccatorū quætes, diuinā prouidentia sustulerunt.

Psal. 72.

Exposuimus Epicuri, atq; adeo eorum, qui prouidentiam omnino tollunt, sententiā, eiusq; scētētię fundamēta, ad eos iā veniam<sup>9</sup> qui eā ex parte tollunt, quarundā rerū Deo prouidentiam tribuentes, aliarum nō item. Sunt igitur qui putauerint rerum quidē sempiternarum habere curam, & prouidentia Deū, caducarum vero & fluxarum, ortū, & interitū subeuntium, cuiusmodi sunt omnia sublunaria, nō item. Quam opinionē Aristotelis fuisse ferunt viri doctissimi, nempe Tavianus Syrius Iustini Martyris discipulus, Theoderetus in libello, qui in scribitur diuinorum dogmatum Epitome cap. de Prouidentia, Chalcidus in Timæū Platonis, & multi alij nobilissimi Aristotelis interpretes. Porro huius opinionis fundamentū positū est duodecimo primæ philosophiæ libro, textu, Si, & apud D. Thomā interpretem lectiōe 8. Quo loco ait Arist. Deū extra se nihil intelligere, iam sic, Deus extra se nihil intelligit, igitur nihil prouidet. Cōsecutio firma est, quoniam prouidentia cognitionē earū

Aristoteles de ceteris in ferriorū prouidentia ademit.

Aristotelis motuū ex ponitur.

Prima ratio sumitur ex nobilitate obiecti.

re-

requirit quarum est providentia. Pari enim  
gressu procedunt scientia, & providentia, qua  
re si Deus extra se nihil intelligit, sequitur  
ut hæc sublunaria non cognoscat, ac proin-  
de eorum providentiã nullo modo habeat.  
Antecedens porro ex eo vult esse persuasum  
Aristot. quia ipsum intellectum nobilius ac  
præstantius est, quam ipsum intelligere, vn-  
de si prima substantia aliquid aliud a se inte-  
ligeret, illud proculdubio esset eo nobilius, at-  
que præstantius, cumq; ipsa sit nobilissima,  
atq; præstantissima, sequitur ut seipsam intel-  
ligat.

Adde, quia si divina mens aliud a se intel-  
ligeret, cum ad deterius transiret divina in-  
tellectio, transiret enim de intellectione sui  
nobilissimi alioqui, & divinissimi obiecti,  
ad intellectionem ignobilioris obiecti, tum  
etiam mutaretur. Namq; transicio de consi-  
deratione unius obiecti ad consyderatione  
alterius, motus quidam est, iam autem mo-  
tus primo mouenti omnino immobili con-  
uenire nullo modo potest.

Postremo cum sint quadam obiecta igno-  
bilia, ac vilia, si deus omnia intelligeret, pro-  
culdubio vilesceret diuinus intellectus ea in-  
telligens. Nam cum operationes ex obiectis  
speciem, & dignitatem consequantur, fit ut  
quãto nobilius est obiectum, tanto sit nobi-  
lior operatio, quanto vero vilius, & ignobi-  
lius, tanto vilior, & ignobilior, vilitate scilli-  
cet, & ignobilitate obiecti in intellectione,  
& ex consequenti in intellectum redundã-  
te. Hinc denique effectum esse voluit Ari-  
stoteles divinam mentem, omnium præstã-  
tissimam, seipsam intelligere, ex quo subin-  
de conficitur alia a se non intelligere, & ex  
consequenti rerum providentiam non ha-  
bere, Non enim providentia, cura, & admi-  
nistratio haberi eius potest, quod ignora-  
tur. Ita Aristoteles Deum neq; omniscium  
facit, neq; providum. Cæterum senserit hoc  
Aristoteles necne, controuersum est, quam  
nos controuersiam tertio huius quæstionis  
membro explicabimus. Sicut enim qui Arist.  
longe aliter sensisse putet, hoc ipsum ex alijs  
doctrinæ suæ locis colligentes, & sententiã

eius duodecimo primæ Phylosophiæ libro  
positam benignius interpretantes. Cæterum  
cõmentator Auerroes 11. Metaphys. quasi  
Aristotelis sensum introspicens audacter,  
& aperte affirmat non decere diuinam  
magnificentiam, & bonitatem providentiã  
habere rerum singularum, nisi forte prout  
communicant in specie, siue in natura com-  
muni, ceu quod aranea sciat facere telam,  
quod autem hæc aranea faciat hanc telam,  
id deus neq; nouit, neq; curat, aut prouidet.

Porro quod singularia ea, quæ oriuntur,  
& occidunt non subijciãtur diuinæ scientiæ,  
ac providentiæ hinc etiam persuasum esse  
volunt, quia ordo rebus diuina providentia  
præstitutus certus est, ea igitur quæ frequen-  
ter a cursu ordinato deficiunt non possunt  
providentiæ legibus subiacere, ac propterea  
esse non possunt à Deo prouisa, & adminis-  
trata.

Aliorum fuit opinio omnia, non solum se-  
piterna, & necessaria, sed etiã generabilia,  
& corruptibilia, diuina providentia admi-  
nistrari, ijs interim exceptis, quæ ab homini-  
bus geruntur ut pote quia providentia  
non possit coherere cum humani arbitrij  
libertate. Id quod sic colligit Cicero secun-  
do de diuinatione libro. Si providentia est,  
certus est ordo rerum prouidenti deo. Si cer-  
tus est ordo rerum, certus est etiã ordo cau-  
sarum. Non enim aliquid fieri pot, quod nõ  
aliqua efficiens causa antecesserit. Si certus  
est ordo causarum, quo fit omne quod fit,  
fato igitur fiunt omnia quæ fiunt. Quod si  
ita est, nihil est in nostra potestate, nullũq;  
est arbitrium voluntatis. Consecutio firma  
est, quoniam in fato vis inest ad afferendã  
necessitatem, quam non admittunt motus  
animi voluntarij. Ita Cicero ut tueretur li-  
berũ hominis arbitrium, præscientiam futu-  
rorũ, atq; humanarum rerũ providentiam,  
procuracionemq; deo ademit, & dũ vult ho-  
mines facere liberos, fecit sacrilegos, ut di-  
fertissime annotauit Augustinus. 5. de ciuit.  
Dei libro, cap. 9. Sententia porro suam Cice-  
ro Ennij poetæ autoritate cõfirmat, qui ait.  
Ego deũ genus esse sepe dixi, & dicã cœliũ.

Auerroes  
collit pro-  
uidentiã  
rerum.

Cicero a-  
ctiones  
humanas  
diuinæ p-  
uidentiæ  
subtraxit  
Motiũ  
Ciceronis  
2. de diui-  
natione  
libro.

Augusti-  
nus refel-  
lit hæc se-  
ntentiã de  
ciuit dei  
lib. 5. ca.  
9. & 10.  
Ennius.

sal. 27.

adacti.

mpijim  
unitatẽ  
eccato-  
quetẽ  
s, diui  
puidẽ  
a sulã  
unt.

2. Ratio  
sumitur  
ex muta-  
tione.

l. 27.

3. Ratio  
sumitur  
ex vilitate  
obiecti

Vlliras  
obiecti in-  
telligibi-  
lis redun-  
dat in vi-  
litate in-  
tellectus.

Nõ cõstat  
inter au-  
thores, A-  
ristoteliẽ  
prouidẽ-  
tiam esse

DISTINCT. 39. DE DIVINA PROVIDENTIA.

Sed eos non curare, opinor, quid agat humanum genus.

Quod eius dictum (vt Cicero author est 2. de diuinatione libro) fuit summo populi plausu exceptum. Hanc sententiã Boetius 1. de consolatione libro, interim tamen ei minime subscribens, sub his verbis refert. Omnia certo sine gubernans,

Hominum solos respicit actus.

Sunt qui hanc sententiam sic temperauerint, authore Cicerone 1. libro de natura Deorum, vt dicerent, Deũ non quidem omnino non consulere, ac providere rebus humanis, hominumq; vitæ, & salutis, sed magnos viros, resq; magnas curare solũ, paruas vero negligere. Vnde est illud a Cicerone loco superiore dictum. Nemo vir magnus sine aliquo afflatu diuino fuit. Item, Dij magna curant, parua negligunt. Plutaachus etiam in politicis refert Euripidem dixisse, Deos res magnas curare, paruas vero, & exiliores fortunæ committere.

Horum sententiam videtur secutus Cæsar apud Lucanum, cū milites est in hunc modũ, cohortationis gratia, allocutus.

Nunquam se cura Deorum  
Sic premit, vt vestræ vitæ, vestræq; salutis.

Fata vacent, procerum motus hæc cuncta sequuntur.

Prætera, Nullam habere Deũ rerũ humanarum providentiã & procurationem, hinc etiam colligunt impij, quia si Deus curaret res humanas, Deus esset, & ageret ppter res humanas, At indignũ est dominũ agere seruorũ gratia, deº igitur res humanas nõ curat.

Fuere qui bonorũ quidẽ providentiã, bono deo concesserint, malorũ vero providentiã malo deo tribuerint, eo quod viderent hæc duo esse non posse vni, & eidem agenti proposita. Hic fuit Manichæorum error,

Ex posuimus varias humanũ de diuina providentiã opiniones, quorũ alij diuinã providentiã omnino sustulerũt, res omnes casui, & fortunæ cõmittentes: quorum impia sententiã ex libidine, & impunitate profecta est, ex libidine quidem ad peccandũ, ex impunitate vero expectata, & sibi promissa

peccatorum, vt annotauit Aug. 3. de lib. arbitrio libro. cap. 2. Neq; mirũ, inquit Aug. eos casibus agere omnia, qui agendo cadunt.

Alij vero providentiã non omnino, sed ex parte negauerunt. Reliquum est vt catholicã veritatem exponamus, & expositã contra impios asseramus.

Catholica igitur veritas est in Deo non solũ esse providentiã, verum etiam omnĩũ providentiã, neq; esse quicquã in vniuersitate quod ipsius providentiã, & procurationi, administrationiq; non subsit. Quocirca pro explicatione catholicę veritatis duas subiicimus conclusiones.

PRIMA CONCLUSIO.

IN Deo statuenda est providentiã. Hęc conclusio primũ ostenditur theologice, deinde physice. Quoniã vero theologica probatio omnis ex scripturis diuinitus inspiratis sumitur, scripturæ sacræ sunt nobis testimonia proferenda. Ac primũ, in signe & apertũ diuinę providentiã testimoniũ positũ est sapient. 14. Tua aut pater providentiã ab initio cuncta gubernat. Itẽ cap. 15. Tu aut deus noster suavis, & verus es, potens, & in misericordia dispones omnia. Itẽ sap. 11. omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. In mensura quidẽ deus omnia disposuit, quatenus rebus ipsis varios perfectionis naturalis gradus attribuit. In numero, quatenus diuersitate, & pulchritudinẽ specierum, cõsequẽtem ex diuersis perfectionis gradib9, effecit, in pondere vero cuncta disposuit, quatenus rebus singulis propensiones, & operationes dedit, suæ cuiusq; naturę cõsentaneas, iuxta expositionẽ D. Thom. 3. contragen. cap. 197. Itẽ sap. 7. Diuina sapiëntia attingit a fine, vsq; ad finẽ, & disponit omnia suauiter. Itẽ in proverbij Solomonis legitur. Dominus sapiëntia sua fundauit terrã, stabiliiuit coelos prudẽtia, sapiëntia illius eruperunt abyssi, & nubes rore conerescunt. Si dicas, Deũ quidẽ fecisse omnia, nõ tamẽ iam facta, & condita tue ri, gubernare, & administrare, sed res cõditas suis motibus, & inclinationibus permisisse, ita vt sine opificis consilio, nutu, & volũtate fiant

Augusti.

Catholica veritas docet in deo esse omnium providentiã.

1. Cond.

In Deo est providentiã.

sapiënt. 14. 15.

11.

3 ap. 7. Proverb.

3

stant quaecumque fiunt. Huic falsae alioqui, & stultissimae existimationi occurrit scriptura dicens Sap. 11. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod ate vocatum non esset, conseruaretur? Quibus verbis significat sapiens, cum res ipsas tum rerum ordinem, & decetissimam dispositionem a Deo institutam, ipso volente, & gubernante conseruari, ac perpetuo retineri. Item, ecclesiastici 11. dicitur. Bona, & mala, vita, & mors paupertas, & honestas a Deo sunt, Quid & ad coarguendam hominum, providentiam e medio tollentium, impietate potetius, & ad asserendam diuinam de rebus omnibus providentiam, apertius, & illustrius dici potuit? Egregius propheta David psalmo 138. diuinam erga homines curam & particularissimam providentiam, his versibus commendat. Domine probasti me, & cognouisti me. Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, (id est, omnes meas actiones) intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas providisti. Id est, cogitationes meas & vias meas omnes notas & exploratas habes, non solum cum cogito, & ingredior, sed multo ante etiam quam cogitare, & ingredi incipiam. Quomodo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? si ascendero in celum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Consentaneae huic Davidis, de diuina circa homines providentia, sententiae, dictum est ab eodem domino Deo per Hieremiam 23. Ego deus approximans, & non est Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego non videbo eum? Nonne caelum, & terram ego impleo, dicit dominus? Quibus verbis significat deus se cunctis rebus, quae geruntur in terris, adesse praesentem, neque posse quenquam eius obtutum effugere, neque posse quicumque eum latere. Vnde prou. 15. dicitur, in omni loco oculi domini contemplantur bonos, & malos. Valeant ergo impij dicentes, Quid enim nouit deus? Nubes latibulum eius, neque nostra considerat,

Circa cardines celi perambulat. In quos eodem factus David acriter inuehitur, psal. 72. sic aies, zelauit super iniquos, pacem peccatorum videns. Subinde declarans aduersus quos iniquos ira concitatus vibaret gladium, subiungit, posuerunt in coelum os suum, & dixerunt, si est scientia in excelsis. Haec ad asserendam diuinam prouidentiam desumptis ex veteri testamento testimonia, reliquum est vet ex nouo etiam testimonia proferamus.

Dominus Iesus christus Dei erga homines curam, prouidentiamque commendans, iubet eos omnem sollicitudinem curaque rerum ad victum, vestitumque necessarium conquirendarum deponere, se sequi totos diuinae curae, & prouidentiae committere, sic aies Matth. 6. Nolite solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus? aut quo operiemur? Haec enim omnia gaetes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quarite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia adiacentur vobis. Hoc ipsum etiam admonuit Petrus prioris epistolae cap. ultimo, sic inquit, omne sollicitudinem vestram proicietes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Ad hanc etiam particularem dei circa homines curam, & prouidentiam commendandam pertinent illa christi domini verba Matth. 10. & Luc. 12. Non peribit capillus de capite vestro, omnes enim ipsi numerati sunt. Porro Deum rerum etiam minimarum curam gerere, deique ipsius consilio & voluntate cuncta in terris, etiam minima, administrari, aperte declarant illa eiusdem domini verba Matth. 10. Nonne duo passeret asse veniunt? Et vnus ex illis non cadit super terram sine patre vestro. Item Luc. 12. Nonne quinque passeret veniunt dipondio, & vnus ex illis non est in oblivione coram deo? Ecce quam aperte his verbis a sempiterna, & infallibili veritate prolatis redarguta & refutata est illorum sententia, qui dicunt, Deum magnas res curare, paruas vero negligere. Qui enim passerulorum tantam curam gerit, ut neque vnus quidem, nisi de ipsius voluntate, & permisso ab hominibus capiatur nonne res minimas curat, & administrat?

*Esse prouidentiam physice demonstratur.*

Sap. 11.

Eccles. 11.

Psal. 138.

Hier. 23.

Proverb. 15.

Iob. 22.

Psal. 72.

Matth. 6.

1 Petri 5.

Matth. 10.

Luc. 12.

Luc. 12.

Matth. 10.

Luc. 12.

Aperto testimonio veritatis redarguitur illorum sententia qui dicunt Deum magnas curare, paruas negligere

DISTINCT 39. DE DIVINA PROVIDENTIA.

**E**sse in Deo providentiam, id quod asserit nostra prior conclusio, Theologice, hoc est, sanctarum literarum testimonijs, & divinis oraculis docuimus, reliquum est ut id quodque physice, hoc est, naturalibus rationibus ostendamus.

1 Ratio physica sumitur ex actione naturae cuiusque sententia.

Ac prima quidem ratio sumitur ex actione, quae est cuiusque rei naturae propria, quae apud Ciceronem 2. de natura Deorum libro sic conficitur. Deus agat aliquid necesse est, Nam qui nihil agit, omnino neque videtur esse, unde ea quae sunt, pro ratione naturae suae singula aliquid agunt, agit igitur deus aliquid, at cuiusque actio est naturae cuiusque rei accommodata, illud igitur quod Deus agit praclarissimum esse oportet, at nihil praclarius est mundi administratione, Dei igitur consilio administratur Mundus.

Lactantius Firmianus.

Lactantius Firmianus in libro de ira Dei cap. 4. eandem rationem sic conficit. Deus igitur non est, si neque movetur, quod est proprium viventis, neque facit aliquid homini impossibile, quod est proprium dei, habeat igitur deus oportet actionem, & administrationem, quae deo digna sit, At nulla maior, deoque dignior administratio ei assignari potest, quam Mundi gubernatio, quam cura viventium, maximeque hominum, quibus omnia terrena subiecta sunt divina igitur mente, atque providentia geruntur & administrantur omnia.

2 Ratio sumitur ex mundi sapientissima constitutione.

Secunda ratio sumitur ex Mundi sapientissima, ac decentissima constitutione. Etenim hoc mundo nihil neque dispositus ad ordinem, neque aptus ad vilitatem, neque ornatus ad pulchritudinem, neque denique maius ad molem esse potest, igitur mundus non solum ratione ac consilio effectus est, verum etiam excellenti quadam, divinaque ratione, & consilio. Consecutio probatur, Opus artis, est opus rationis, & consilij, Quis enim cum signum, aut tabellam aliquam pulcre depictam, aut horologio indicari horas, aut machinatione moveri aliquid videat non intelligat id summa ratione fieri? cum igitur meliora sint ea quae natura, quam quae arte perfecta sint, etenim ars ut sequatur, nunquam tamen assequitur naturam imitando, cernamus autem mundum, Mundi que partes rectissima con-

Cicero 2. de natura Deorum.

Meliora sunt ea quae natura, quam quae arte constent, cumque opus artis sit opus rationis, sequitur, ut opus naturae sit etiam opus rationis, & consilij.

stitutas, ita scilicet, ut neque ad usum meliores, neque ad speciem pulchriores possint existere, non est quod dubitemus mundum non solum ratione fuisse effectum, verum etiam excellenti quadam divinaque ratione. Cumque haec mundi, partiumque mundi sapientissima, & decetissima constitutio, sub eo, quo effecta est, ordine, sub eademque ratione permaneat, cum summa rerum omnium salute, & conservatione, reliquitur mundum hunc quaeque in mundo cernuntur omnia, divina mente, ac sapientia administrari, qua administratione sublata, ut ait Augustinus 2. de libro arbitrio, cap. 17. ista omnia non essent, sunt autem, & constantissime perseverant, divino ergo consilio, & divina mente, rationeque administrantur. Accedit ad confirmationem, ut disertissime annotavit Marcus Tullius, quia si Deorum administrationem providentiamque a rebus secluserimus, nulla excogitari potest in natura ratio, per quam ea, quae a natura sunt, administrari dicantur,

Augustinus.

Cicero de Naturae Deorum. 2. lib.

Tertia ratio sumitur ex cultu, & pietate, quam homines divino numini tribuunt, quae cultum, quamque pietatem minime tribuerent, si Deus rebus humanis minime provideret, atque consuleret, quemadmodum Cicero, 1. de natura Deorum libro ratiocinatur in hunc modum. Sunt, inquit, Philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent rerum humanarum procuracionem Deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas, quae sanctitas, et religio? Hac autem omnia pure & caste tribuenda Deorum Numini ita sunt: si animadvertuntur ab illis, & si est aliquid a Dijs immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dijs neque possunt nos iuvare, neque volunt, neque curant omnino, neque quid agamus animadvertunt, neque est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit: quid est quod vobis Dijs immortalibus cultus, honores, precesque adhibeamus? in specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitas, & religionem tolli necesse est. Quibus sublati perturbatio vitae sequitur, & magna confusio. Ac haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellen-

3. Ratio sumitur ex Dei cultu & veneratione.

Cicero de Natura Deorum libro 1.

tissima

Nota quod & quae evenia absurd ex, negatione vix p videntur

4. Ratio sumitur ex corpore honore numero stimat

Vox pulchra Dei

Vox pulchra Dei

5. Ratio sumitur ex corpore Deorum

Nota quæ  
& quanta  
eueniant  
absurda  
ex nega-  
tione di-  
uinæ pro-  
uidentie

tiſſima virtus iuſtitia tollatur. Ecce in quæ  
ab ſurda incidunt ij, qui prouidentiã tollunt  
ſimul enim ſanctitatē, pietatem, religionē,  
fidem, ſocietatē, & iuſtitiam, virtutēq; omnē  
ab orbe auferunt, ac cuncta tā diuina, quam  
humana perturbant, atque confundunt.

4. Ratio  
ſumitur  
ex comu-  
ni homi-  
num exi-  
ſtimatio-  
ne.

Quarta ratio ſumitur ex communi homi-  
nū exiſtimatione. Etenim vox naturæ eſſe  
dicitur, quidquid in hominum animis inſitū  
& inſculptū eſt, atqui omnes homines, om-  
neſq; nationes diuinā prouidentiam agnoſ-  
cunt, id quod ex eo aperte intelligitur, quia  
in diſcrimen adducti manus in celum tollūt  
deorumq; auxiliū implorant, proſperos ve-  
ro & ſecundos euentus a dijs imortalibus poſ-  
cunt, vt pote a quibus ōnia ad homines per-  
manare bona exiſtiment. Cum igitur hac  
homines, ipſa natura duce, faciant, aperte di-  
uinam prouidentiã conſentur, eſt igitur pro-  
uidentia. Etenim ea ſemper veriſſima ſunt  
habita, quæ & omnes ſentiunt, & ore ōnium  
peruulgantur. Vnde illud abiit in prouerbū  
vox populi, vox Dei. Hæc ratio non eſt vul-  
garis, ſed multum efficacitatis habens ad di-  
uinam prouidentiam confirmandam.

Vox po-  
puli, vox  
Dei.

5. Ratio  
ſumpta  
ex eo quod  
Deus eſt.

Poſtremo, ſi Deus eſt, prouidentia eſt, at-  
qui Deus eſt, etiam de ſententia illorum qui  
prouidentiã tollunt, igitur prouidentia eſt,  
& cunctarum rerum, & ex diuino conſilio,  
& ex diuina mente, moderatio. Conditiona-  
lis illa propoſitio oſtenditur in hunc modū  
Nam vel Deus, quē ponunt, ſapiens eſt, aut  
inſipiens, ſi inſipiēs eſt, deus non eſt, ſi ſapiēs  
ſcit ergo et ea quæ euentura ſunt, & ordinē,  
quo gubernantur, alioqui neq; ſapiens eſſet,  
neq; omniscius, id quod cum diuina natura  
non congruit, ſi ſcit quo ordine cuncta debe-  
ant fieri, ac procedere, aut vult hunc eis ordi-  
nem præſtituere, aut non vult, ſi non vult, in-  
uidys proſecto, aut deſes habendus eſſet, vt  
qui res a ſe procreatas, nollet in ordinē redi-  
gere eum, quo perdurarēt, & ad finē præſti-  
tutum peruenirent. Iam ſi ſcit, & vult, aut po-  
teſt id præſtare, vel non poteſt, ſi non poteſt  
non eſt omnipotens, ac proinde neque deus  
eſt, ſi poteſt & ſcit, & vult, cuncta ergo mode-  
ratur. Nam quod id non faciat, aut ex inſciē-

tia, aut aut ex inuidia, aut ex impotētia proſi-  
ciſcatur neceſſe eſt, quæ cum ſit impiū Deo  
attribuere, ſequitur luce maſteſtius, Deum  
rerum omnium prouidētiam habere, atque  
procuracionem, & hominum, rerumque hu-  
manarum multo maxime, vt qui ſint omni-  
bus creaturis nobiliores, et ſempiterna beati-  
tudini deſtinati.

Ita his naturalibus rationibus aſſeritur  
diuina prouidentia. Super eſt, vt eandem e-  
tiam ſapientium hominum, eorum ſcilicet  
qui diuinæ Theologiae fuerunt expertes,  
auctoritate confirmemus.

*Philoſophorum, & Poetarum teſti-  
monijs diuina prouidentia  
confirmatur.*

**P**Rinceps philoſophorum Plato multis  
locis & agnouit, & aſſeruit diuinā pro-  
uidentiam, vt intelligi licet ex decimo  
de legibus libro, ex Phædro, ex Phadone, ex  
Gorgia, ex Sophiſta, ex Timæo, quibus  
locis cum diuinam prouidētiam aſſer-  
uit, tum eam multis exemplis, & ratio-  
nibus confirmauit. Nam cum Deus ſit, neq;  
deceat illum eſſe otioſum, ac deſidem, con-  
ſequens eſt neceſſario, vt res humanas, atq;  
adeo mundum vniuerſum, celeſtem ſcilicet  
et ſublunarem, curet, & adminiſtret, cumq;  
ſit omniscius, neceſſe eſt, vt res omnes tam  
maximas, quam minimas et nouerit, & pro-  
curet. Quemadmodum enim, inquit plato,  
ſapiens architectus non ſolum pergrandes  
lapides cogit, verum etiā paruos, et exiguos  
eo quod magni lapides ſine paruis conſtrui  
apte ad edificium non poſſint, ſic etiā deus  
non magnas ſolum, verum etiam paruas res  
curat, quoniā illa magnæ, ſine iſtis paruis ne-  
que cōmode exiſtere, neq; cōſeruari, nō ſolū  
ad vſus hominum, ſed neq; ad voluptatē, &  
vniuerſitatis pulcritudinē, & ornatū, poſſunt.  
Itaq; Platonici, de mente, & ſentētia Plato-  
nis, diuinā prouidētiam ſic ſunt partiti, vt rerū  
omnium curā, & adminiſtrationē ſummo et  
principi Deo tribuerent, quem Plato in Ti-  
mæo, Deum appellat Deorum, vt qui aliorū  
Deorum

Plato aſ-  
ſeruit, &  
agnouit  
diuinā p-  
uidentiam

ſimile ſo-  
ptiſimū

Platonico-  
rorū, ad  
mentem  
platonis,  
de prou-  
dentia o-  
pinio.  
Princeps  
deus ha-  
bet curā  
omniū.

DISTINCT. 39. DE DIVINA PROVIDENTIA:

Deorū opifex, & pater sit, quiq; bonorū ōniū causa & author est, & cuius gratia sunt ōnia: & in quo sunt omnia, authore eodē Platone in epistola scripta ad Dionysiū tyrannū. Generabilium porro & corruptibiliū rerum, nō quatenus illæ quidē generabiles, & corruptibiles sunt, sed quatenus sempiternitatē quā dā, & immortalitatē, partim in suis quidditatibus, & ideis, partim in suo motu, & successione, obtinent, curā, & providentiam Dijs secundis demandatā esse voluerūt. Sunt aut hi qui celestia corpora mouent, & elemēta ipsa viuificāt, quatenus foecundæ virtutis sint, & coelestis virtutis conceptu alia procreent.

At singularū, & interiturarū rerū ceu huius hominis, huius bouis, huius arboris, atque a deo rerū omnium ad vnam aliquā speciē, ceu bouinā, humanā, & equinā pertinentiū, curā & providentiam Dijs minoribus quibusdam, quos eodē plato Demones appellat Plato delegauit. Hi sunt, quos princeps Deus per provincias, & diuersas orbis partes diuisit, eisq; illarū curam, & custodiam demandauit, in quam illi curā, & custodiam, authore lāblichō, ita solcite, & diligenter incūbant, vt ne verbum quidē illi ordini, & dispositioni contrariū ferre possint. Sunt alij ex hoc ordine qui singulis præsunt animalium & plantarū generibus, naturis, & speciebus. Ita fit, vt Deorū prouidētia vniuersalis sit, Demonum vero particularis, Nāq; princeps Deus omnibus ōnia largitur, Dij secundi omnibus illi quidē tribuunt, nō tamen ōnia, sed aliqua. Dæmones vero, certis quibusdā & certa conferunt. Lege Iamblichum in libro de Mysterijs, & Marsiliū Ficiniū in apologia Socratis, & in libro quē scripsit de theologia platonica, & Gregoriū Nyce- nū in libro de prouidentia. Hæc plato, & platonis studiosi ad mentē platonis, de prouidētia scripta reliquerunt, quæ tametsi multis erroribus scateant (multa enim cōtinent a fidei catholicæ sinceritate, & veritate vehementer aliena) prouidentiam tamē asserunt, eorūq; dementiam, & ignorantiam redarguunt, qui deorum prouidentiam, aut omnino, aut certe ex parte sustulerunt.

Sed iam ad veterū poetarū testimonia veniamus. Homerus itaq; poetarū princeps, vt disertissime a notauit Plutarchus in vita Homeri, Deos cū hominibus cōuersantes, & negotia tractātes finxit, vt hominibus persuaderet Deorū immortalium prouidentiam, ostenderetq; eos res humanas curare, nō negligere. Hinc effectū est, vt louem, quē Deorū supremū facit, sæpe appellauerit cū hominum, Deorūq; patrē, τὸ εὐρηπῶτα, hoc est, latissimos habentē oculos, vt qui rebus omnibus, etiā minimis prospiceret, atq; cōsuleret. Idē Homerus adeo particularē hominū, rerūq; humanarū curam deo assignauit, vt diceret homines eas cogitationes habere, quas in dies singulos ipsorū animis Iupiter immitteret hominū, deorūq; pater, sic enim ait. Mēs etenim humana est talis qualē ipse dictim, Iupiter attulerit, hominū pater, atq; Deorū. Vnde & ipse Iupiter κατὰ χθονίους interdū est ab Homero vocatus, ob id scilicet, quia nō solū celestibus, & sūmis præesset, verū etiam terrestria & infima moderaretur.

Orpheus poetarū vetustissimus diuinam etiam prouidentiam nō solū agnouit, verū etiam versibus decātauit, quibus Dei oculum ὀφθαλμὸν appellauit, hoc est, infinitū, & immensum, ob id scilicet, quia deus vniuersa per totū orbē inspiceret, omniaq; quæ gerūtur, eius conspectui essent pposita, iuxta illud Pauli, ōnia nuda, & aperta sunt oculis eius, & iuxta illam sapientis sententiā, in omni loco oculi domini contēplantur bonos, & malos.

In hanc sententiam dixit Sophocles, μέγας ἐν οὐρανῶ ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ καὶ κερᾷ τὸ ὕδ, Id est, est magnus in celo Iupiter, qui inspicit, & imperat. Plautus in comædia captiui in eandē sententiam sic ait, Est profecto deus, qui quæcunq; facis, & videt, & iudicat, Bene merenti bene retribuet, male merenti parerit.

Hoc ipsum diuinum iudicium poetæ hominibus significatum & cōmendatum esse voluerunt, cum Elisos quosdam campos, & fortunatas insulas confixerunt, Tartarum deinde & Phlegetontem, nihil aliud his significare, & hominibus cōmendare volētes, quā

Veterum poetarū de diuina prouidentia testimonia Homeri.

Deus latissimos habet oculos. Homeri rerū humanarū prouidentiam posuit.

Iupiter terrestris

Orpheus

Dei oculi infiniti.

Hebr. 4.

Prouerb. 15.

sophocles

Plautus.

Elisij scipi insule fortunatae.

Tartarus Phlegeton.

pro-

Dij secundis curam habent generabilium & corruptibilium in specie.

Dij minorum rescuram habent singularium.

Dij minorum diuersis orbis partibus præsunt.

Deorum prouidētia vniuersalis, dæmonum vero particularis.

Iamblichus Marsilius Ficinus.

Gregorius Nyceus.

Varijs bis pabus dis, v. minif dis, v. sunt q que N mina etis a nra. suppi celo a gnatu Mari tunu Terra Hercu Capi pratis Infer Plato

Nulla uerfi a di prou tia d tuit

Diul uide oia ciun

In to nere ditu uinc uide oia ci.

r. B sum ex i one quē intē

oio

oio

oio

oio

oio

oio

oio

oio



proborū pramia, & improborum supplicia.

Ex hac etiam, quam omnes fere poetae de diuina providentia habuere opinione, & sententia illud profectū est, ut varijs orbis partibus varia quoque; numina ab eis fuerint assignata, tanquā illis locis, & regionibus praesidentia, & specialē eorum locorum, eorūque omnium, quae in locis illis geruntur, procurationem, & administrationem habentia.

Quocirca Coelo Iouem, Mari Neptunū, Terrae Herculem, campis, & pratis Panem, syluanos, & satyros, in timis vero terrae recessibus Plutonem, & Proserpinam assignarūt. Quae omnia etsi cōmenta quaedā & figmenta poetarum sint, plurimum tamen valent ad diuinam in toto mundo providentiam cōmendandam, & ad declarandum, nullam vniuersitatis partem diuina providentia destitui. Id quod fides catholica docet, & sacrae, ac diuinæ literæ testantur. Ita tam physice, quam Theologice prima conclusio est tractata, reliquum est ut secundam conclusionem subiiciamus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Diuinæ providentiæ omnia subiiciuntur. In hac porro conclusione tractanda ita progrediemur, ut eam primo in toto genere tractem, deinde in parte, genera singulorū quae sub diuinā providentiā cadūt, explicādo.

Ac primum in toto genere omnia diuinæ providentiæ subesse theologi nostri his rationibus volunt esse demonstratum. Prima igitur ratio petitur ex intentione agentis. Etenim omne agens agēdo finē aliquē intendit, ex quo fit ut tam se extendat ordinato effectū in finem, quā se agentis causalitas, & efficiētia extendit, Atqui primi agētis, quod est Deus, causalitas & efficiētia ad omnia se extēdit, non solū quantum ad principia speciei, verum etiam quoad principia in diuiduantia rerum siue generabilium, & corruptibilium, siue ingenerabilium, & incorruptibilium, omnia igitur quae sunt, sint a Deo ad finem ordinata necesse est, sunt igitur prouisa, siquidem providentia nihil est aliud, quā ratio ordinis rerum in finem. Huius discursus

maior quoad illationem quam continet sic ostenditur. Omne agens agit propter finem igitur omnē suum effectum ordinat in finē, nā si in effectu agentis reperiatur aliquid non ordinatum in finē, illud non est ab agente profectū, sed ab aliqua alia causa, ceu si in vasculo ad bibendū fabricato rubigo reperiatur, quae alioqui ad bibendū minimē comparatur, illa rubigo nō est ab agente, sed ab aliqua alia causa. Iam sic, agens omnē suum effectū ordinat in finē, igitur causalitas agentis non excedit ordinationē effectū in finem, ac proinde tam se extendit ordinatio effectū in finē, quam se se porrigit causalitas agentis propter finē. Cū igitur omnia quae sunt, sint effecta primi agētis, sequitur ut omnia sint ordinata ad finē, ac proinde eius procurationi, & providentiæ subsint.

Hoc ipsum etiā confici potest ex causalitate Dei, quē ad modū cōficit Ioānes Damascenus 2. lib. de fide orthodoxa cap. 29. quo loco sic argumētatur. Deus est omnium effector, est igitur omnium prouisor. Cōsequētia probatur quoniā non decet, neque cōsentaneū est, aliū esse factorē, & aliū prouisorem eorū quae sūt sic. n. eueniret, ut vterque imbecilitati subiaceret, ac vnus quidē non faciendi, alter vero non prouidendi, deus igitur qui est effector, idem etiam prouisor & moderator est. Cūque eius vis effectiua ad omnia se extendat, sequitur ut & providentia.

Secunda ratio sumitur ex ordine, qui in rebus cernitur, in quo bonū rerum omnium consistit. Ratio porro sic efficitur. In rebus omnibus cernitur ordo quidam, quatenus scilicet alia alijs coherent, & alia alijs inserviunt, iam autē quē ad modū omne esse à primo ente, sic etiā omne bonū à prima, & summa bonitate deriuatur, bonū igitur ordinis, quod cernitur in vniuerso à prima bonitate sit profectū necesse est: proficiscitur autē ab ea eo modo, quo est in ea, nepe per modū intelligibilem, necesse est igitur omnia diuinæ providentiæ subiacerere. Cōsecutio firma est, quoniā in hoc ratio providentiæ consistit, quia ab aliquo intelligente praestituitur ordo rebus, quae eius providentiæ subsint.

2. Ratio sumitur ex ordine vniuersi.

Bonū ordinis, quod cernitur in vniuerso a prima bonitate profectum est.

Tertia

Varijs orbibus partibus tuendis, & ad ministrandis, varia sunt quoque Numina a Poetis assignata. Iuppiter caelo assignatur. Mari Neptunus. Terrae Hercules. Campis, & pratis Pan. Inferno Pluto.

Nulla vniuersa diuina providentia destituitur.

Diuina providentia omnia subiiciuntur.

In toto genere ostenditur diuinæ providentiæ omnia subiici.

1. Ratio sumitur ex intentione finis, quae agens intendit.

DISTINCT 39. DE DIVINA PROVIDENTIA.

3. Ratio sumitur ex perfectione diuinæ providentiæ

Tertia ratio sumitur ex diuinæ providentiæ perfectione, sic igitur arguitur. Oportet diuinam providentiam esse perfectissimam, atqui in dispositione, & ordinatione rerum, tanto providentia est perfectior, quanto magis ipse providens singula & mente complecti, & ordinare potest: igitur diuina providentia habet ordinem intelligibilem omnium, & singulorum, ac proinde omnia & singula diuinæ providentiæ subsunt.

4. Ratio sumitur ex universali Dei motione, per quam mouerentia ad suos fines.

Quarta ratio sumitur ex universali Dei motione. Etenim Deus omnia mouet ad suos fines, mouet autem per suum intelligere, hoc autem est aliud nihil quam providere, omnia igitur diuinæ subsunt providentiæ. Maior proposito quoad priorem partem ex eo perspicitur, quoniam quemadmodum se habet primum ens ad esse, ita primum mouens ad motum, atqui ens est causa omnis esse, igitur primum mouens immobile est causa omnis motus, mouet igitur deus omnia ad suos fines.

Posterior vero pars eiusdem Maioris sic ostenditur. Vnumquodque agit secundum modum suæ substantiæ: sed Deus est natura intelligens, & sua substantia est suum intelligere, igitur deus non est causa alicuius nisi sicut intelligens: ac proinde mouet omnia ad suos fines per suum intelligere. Minor vero ex eo constat, quoniam providentia est ratio ordinis, siue motionis rerum in finem.

5. Ratio sumitur ex omniscientia Dei.

Quinta ratio sumitur ex omniscientia Dei. Etenim Deus omnia cognoscit, tam universalia, quam particularia, ut iam alibi demonstratum est. At diuina cognitio comparatur ad res, sicut cognitio artificis ad artificiatam, ut iam alibi docuimus, necesse est igitur ut omnia diuinæ rationis ordini subdantur, quemadmodum omnia quæ arte sunt, ordini artis subijciuntur.

6. Ratio sumitur ex perfe ordine vniuersi.

Sexta ratio sumitur ex perfe ordine vniuersi. Namque ordo vniuersi est perfe, & non per accidens, At ut aliqua perfe ordinetur hoc requiritur, ut intentio primi feratur usque ad vltimum. Nam si primum moueat secundum, & vltimus eius intentio non

feratur, sed secundum subinde moueat tertium, hoc erit præter intentionem primi mouētis, & per consequens erit ordo iste per accidens, oportet igitur ut primi mouētis, & ordinātis Dei intentio, non solū ad quædam entia, sed ad omnia, usque ad infima, & vltima procedat, ac proinde omnia quæ sunt quæque sunt diuinæ providentiæ subsunt. Huius argumentationis maior propositio probatur. Res omnes in vniuerso sic sunt diuinitus dispositæ, & dispensatæ, sicut optimum, & consultissimum fuit eas disponi & dispensari, eo quod omnis vniuersitatis dispositio, & dispensatio ex summa Dei bonitate sit perfecta, atqui melius est aliqua esse perse ordinata, quam per accidens, igitur vniuersitatis ordo omnis est perse, & non per accidens.

Postremo, si non omnia subessent diuinæ providentiæ, eo esset, quod in rebus multa casu & fortuito accidunt, multa præterea libere, & voluntarie fiunt, at nihil prohibet horum esse omnium providentiæ: sunt igitur omnia diuinæ providentiæ subiecta. Maior patet ex sententia illorum, qui providentiam negant, illa enim diuinæ providentiæ subtracta esse voluerunt, propter eas, quas supra tetigimus causas, Minor demonstrabitur cum genera singulorum fuerimus persecuti, igitur.

¶ Tractatur secunda conclusio in parte.

Reliquum est ut secundam nostram conclusionem in parte tractemus, res singulas, siue singularum rerum genera persequentes.

Ac primum ostenditur res corruptibiles diuinæ providentiæ subesse, id vero ostenditur in hunc modum. Vniuersum est optime ordinatum, atqui vniuersum conficiunt non solum res in corruptibiles, & sempiternæ, verum corruptibiles, & fluentes, igitur omnes mundi partes sub vno diuinæ providentiæ ordine continentur, tamen non eodem modo. Nam partes mundi illæ quæ sempiternæ sunt, & incorruptibiles, ut substantiæ spirituales, & celestia corpora, quæ per-

Vide Damascenu 2. libro capt. 26.

Ratio 7.

Res corruptibiles diuinæ subsunt, providentiæ.

Sempiterna & incorruptibilia sunt providentiæ propter corruptibilia præterea.

Nota Exe apitismu.

Opin dicit vna vide non se teder illa rupt lia, t cū dū ciem, tenur ra fir

Yoru sub nā p dēti dū, sunt nera

**S**empiterna & incorruptibilia sunt prouisa propter se, corruptibilia prouisa propter aliud, nempe propter esse speciei conseruandum, sub quo esse fluxa haec & corruptibilia solum habent perpetuitatem.

Nota.

Exemplū aptissimū.

Notandum in vniuerso illa propter se prouideri, in quibus essentialiter consistit perfectio vniuersi, illa vero propter aliud, quae his in seruiunt. Quemadmodum etiam in domo, hoc est, in aliqua familia per se curatur, & prouidentur ea, in quibus bonum domus, & familiae essentialiter consistit, vt liberi, possessiones, & huiusmodi caetera, propter aliud vero curantur, & prouidentur ea, quae ad horum utilitatem comparantur, vt vasa, animalia, & id genus caetera. Cum igitur perpetua ac sempiterna sint ea, in quibus vniuersitatis perfectio essentialiter consistit, etenim & ipsum vniuersum perpetuum, ac sempiternum est, hinc fit vt haec ipsa per se cadant sub diuinam prouidentiam, corruptibilia vero non item, sed propter aliud, nempe propter perpetuitatem speciei. Et quoniam corruptibilia haec perpetuitatem non habent, nisi in specie, hinc factum est vt quidam dixerint, diuinam prouidentiam non se extendere ad ista corruptibilia, nisi quatenus participant naturam speciei, quod vtiq; verum est, loquendo de prouidentia diuina, quatenus per eam aliqua per se & propter se prouidentur, quomodo ipsae etiam generabiliū, & corruptibilium species prouidentur, non aut ipsa individua.

Horūque sub diuina prouidentia cadunt, duo sunt genera.

Hinc intellige, eorum quae cadunt sub ordinem diuinam prouidentiae duo esse genera, quaedam enim sunt quae prouidentur tanquam ea, ad quae alia ordinantur, alia sunt quae prouidentur tanquam ea, quae ad alia ordinantur. Omnia tamen sub ordine diuinam prouidentiae continentur, licet non aequo primo. Illa enim primū, & principaliter, haec vero, secundario, & ex consequenti prouidentur. Lege D. Thomam de verit. q. 5. ar. 3. & 4.

Sub hoc posteriore genere rerum conti-

nentur mala naturalia, siue defectus naturales, qui accidunt ex defectu alicuius principij, ceu monstra, quae generantur in natura, haec siquidem cadunt sub diuinam prouidentiam tanquam ea, quae ad aliud ordinantur, ordinantur enim à Deo ad aliquam utilitatem, Et respectu horum dicitur esse prouidentia permissionis, quemadmodum respectu priorum, prouidentia approbationis, vt author est Damascenus 2. de fide orthodoxa libro, cap. 19.

Reliquum est vt ostendamus mala siue culpa, siue poenae diuinam prouidentiae subiungere. Ac huiusrei duplex ratio sumitur ex doctrina diui Augustini in Enchiridione cap. 7. ac vna quidem sumitur ex decore, ac pulchritudine vniuersi. Etenim cum vniuersum diuina prouidentia regatur, ea diuinam prouidentiae subsunt necesse est, quae faciunt ad pulchritudinem, & decorē vniuersi, atque mala siue culpa, siue poenae faciunt ad decorem, & pulchritudinem vniuersi, nam vt author est idem Augustinus loco superiore, malū bene ordinatū, hoc est, suo loco positū, & summa sapientia dispensatū, eminentius comendat bona, vt scilicet magis placeant hominibus, sintq; laudabiliora, & expetibiliora, id quod ad bonum pertinet vniuersi, mala igitur siue poenae, siue culpa quae in mundo accidunt, diuino consilio & nutu geruntur, ac proinde diuinam subsunt prouidentiae, permissiue scilicet, non approbatiue.

Altera ratio ducitur ex summa Dei bonitate. Etenim si nemo ad malum respiciens operatur, multo minus Deus, qui est summū bonum, igitur Deus cum sit causa vniuersalis concurrens cum causalitate creaturae ad causandū, cumq; sit omnipotens, valeatq; propterea omnia mala impedire & e medio tollere, nunquam sineret mala in vniuerso fieri, nisi ex malis eliceret, & efficeret bona, vt idem testatur Augustinus loco supra citato, ita inquit, Deus omnipotens non sineret mali aliquid esse in opere suo, nisi vsq; adeo esset omnipotens, & bonus, vt bene faciat et de malo. Ac quate-

Mala naturae continentur sub posteriore genere.

Prouidentia approbationis, prouidentia permissionis.

Illi bonorum est, haec maiorum. Damasc.

Mala siue culpa, siue poenae diuinam prouidentiae subsunt.

Augusti. Ratio qua probatur mala diuinam prouidentiae subsunt.

Mala loco posita comendabiliora efficiunt bonas.

2. Ratio sumitur ex summa Dei bonitate.

Augusti.

DISTINCT. 39. DE DIVINA PROVIDENTIA.

nus De<sup>o</sup> ex malis elicit bona, haecenus mala subordine diuina prouidentia cōtinētur.

Enumerat Damascenus multa bona, quae Deo sume bonus, elicit ex malis.

Porro quae bona Deus bonus, & omnipotens ex malis eliciat, docet D. Ioannes Damasc. loco supra citato, ita inquit. Sinit interdum Deus hominem iustum in calamitates incidere, ut virtus, quae in illo latebat, alijs manifesta, & aperta fiat, id quod accidit Iobo. Aliquando etiam permittit absurdum aliquid, & flagitiosum fieri, ut interuentu actionis, alioqui pessimae, et absurdissimae, magnum aliquid & admirabile dirigat, & operetur, ut per crucem salutem hominum. Quid enim iniquius, quid sceleratius quam Dei filium cruci affigere? Hoc autem innocentis supplicium fuit hominibus salutis, & remedio.

Et alio etiam modo sinit sanctum hominem male affici, ut ex recta conscientia non excidat, & ex tributa ei virtute gratia in superbia non efferatur. Quo dei consilio Paulus permissus est carnis stimulo exagitari. 2. Cor. 12.

Interdum aliorum malis corrigimur, & emendamur.

Interdum aliquis deseritur in malis, ad vitam aliorum corrigendam, & in melius commutandam, ut scilicet alij videntes mala quae illi acciderunt, resipiscant, & emendentur. Natura enim sic comparatum est, ut cum cernimus alios malis affici, ad meliorem mentem redeunt, a malis auocemur, & abducamur.

Alij etiam pati permittuntur, ut & ipsi patientes glorificentur, & alij spe futurae gloriae elati, & futurorum bonorum cupiditate incensi ad similes passiones perferendas incitentur, id quod accidit in Martyribus,

Permittitur quis labi in peccatum ad superbiae repressionem, & propriae fragilitatis agnitionem.

Permittitur etiam quis interdum in turpe incidere actionem, ad emendationem deterioris affectus. Verbi causa, elatus quis virtutibus & recte factis suis, permittitur in adulterium prolabi, ut per casum propriam infirmitatem agnoscens, humiliatus confiteatur domino, id quod accidit Dauidi Regi, accidit & Petro Apostolo, qui labi permissus est, propriam ut imbecillitatem agnosceret, & promptior, alacriorque inde redderetur ad misericordem animum alijs tribuendum. Haec Damascenus.

Diuinae

Quocirca, inquit, sanctissimus Damascenus,

decet nos haec ipsa animaduertentes, omnia mirari, omnia laudare, omniaque absque scrutatione amplecti, & acceptare, ut quae sint diuinae prouidentiae opera, tamen si prima facie multis videantur iniusta & rationi minime consentanea, eo quod incognita, & incomprehensibilis sit diuina prouidentia.

prouidentiae ratio cum sit incomprehensibilis, est admiranda, & laudanda, & sine ulla scrutatione acceptanda.

Reliquum est ut ostendamus, casualia & fortuita sub diuinam etiam prouidentiam cadere. Id vero ostenditur in hunc modum, casualia, & fortuita proueniunt ex inopinato concursu, & conuentu causarum, Nam quaeuis occultatio thesauri, & defossio, causam habuerit, similiter etiam & terra fossio, praeter intentionem tamen occultantis & defodientis sub terra thesaurum fuit, ut colens agrum thesaurum haberet, quemadmodum etiam praeter intentionem colentis agrum, & proscindentis terram fuit, ut thesaurum inueniret, ex quo fit ut huiusmodi causarum concursio praeter opinionem acciderit.

Casualia, & fortuita subdiuina prouidentia.

Ceterum quia haec causarum concursio aliquis effectus est, neque esse possit effectus aliquis, cuius non sit assignabilis aliqua causa, siquidem ut ait Boet. 5. de consol. libro, nihil est quod ex nullis causis oriatur, necesse est illum concursum ad aliquam per se causam reduci, at reduci non potest in recondentem, neque in terram effodientem, ut diximus, reducat igitur oportet ad aliquam superiorem causam, connectentem huiusmodi causas, at nulla esse potest alia quam diuina prouidentia, casualia igitur, & fortuita ordinem diuinae prouidentiae minime effugiunt. Minor ex eo intelligitur, quia diuina prouidentia est, ex qua omnis ordo causarum sumit originem, & per quam omnis effectus efficitur, siquidem authore Damasceno, oportet eundem esse effectorem rerum, & earundem prouisorem.

Boetius.

Fortuitus concursus causarum ad aliquam per se causam reducit, connectentem illas causas.

Hanc rationem tangit doctissimus Boet. 5. de consolatione philosophica libro, sic inquit, etsi liceat casum diffinire, esse inopinatum euentum ex confluentibus causis, in his quae propter aliquid geruntur, concurrere tamen, & confluere causas facit ordo ille, ex

Boetius.

ineui-

inevitabili connexione procedens, qui de providentia fonte descendens, cuncta suis locis, temporibusq; disponit. Vide Egidiū .2. d. 39. quæsto principali .2. art. 3.

Sequitur ut ostendamus actiones humanas, hoc est, liberos humanæ voluntatis motus, actionesq; voluntarias diuinæ providentiæ, ordini, & dispositioni etiã subiacere. Ac huius rei hæc prima, & potissima causa est, quia actiones liberi arbitrij, ceu electiones, & actiones volūtatis in Deum tanquam in primā, & vniuersalem causam reducuntur, est enim Deus causa electionū nostrarum, & voluntatum, igitur electiones, & volitiones nostræ diuinæ providentiæ subduntur. Consecutio firma est, tū quia quidquid deus agit ex ordine suæ providentiæ agit, tum quia eundem esse oporteat effectorem, & promissorem.

Secunda ratio sumitur ex ipsamet providentiæ ratione. Etenim providentia nihil aliud esse dicitur quam ratio ordinis rerum in finem, igitur illa creatura magis, & principalius diuinæ providentiæ subditur, quæ magis indiget dirigi, & ordinari in finem, atqui creatura mentis compos est huiusmodi, igitur præ cæteris diuinæ providentiæ subditur. Minor ostenditur, cum ex parte hominis, tum ex parte ipsius finis ad quæ homo ex diuina providentia ordinatur. Nā quatenus homo est dominus suarum actionum, seq; ipse libere movet ad agendū, potest per seipsum a proposito sibi fine deflectere, ex quo fit ut indigeat speciali directione, per quam & a malis retrahatur, per quæ mala fit a fine proposito deflexio, & ad bona incitetur, per quæ bona fit propositi finis consecutio. Ad hoc autē pertinent bene vivendi præcepta homini diuinitus tradita, quibus homo & a malis abducitur, per quæ fit ab ultimo fine deflexio, & ad bona inducitur, quibus efficitur, ut finis vltimus obtineatur. Homo igitur quatenus est agens liberum, & suæ ipsius electioni, & dispositioni permissum, eget speciali directione ad finem sibi propositum consequendum.

Hoc ipsum etiam efficitur ex præstantia

& excellentia finis sibi propositi. Etenim finis homini propositus est supernaturalis, omnem naturæ facultatem excedens. Ex quo fit ut necessario fuerint homini auxilia supernaturalia præstanda, quorum interuentu homo ad illum finem posset peruenire. Cōsecutio firma est, siquidem secundum rectū providentiæ ordinem, ea quæ ad finem referuntur, esse debet proportionata ipsi fini. Porro in ijs quæ hominem ad finem supernaturalem perducunt est lumen gratiæ, quo lumine diuinitus infuso iuuatur homo & quantum ad intellectum, & quantum ad voluntatem. Quantum ad intellectum quidem, quatenus homo interuentu huius luminis eleuatur ad ea cognoscēda quæ captū rationis, & vim naturalis luminis excedunt, quantum ad voluntatem, & affectum vero, quatenus vi & efficacitate huius luminis volūtas & affectus hominis super omnia creata eleuatur atque prouehitur, induciturq; ad deū super omnia diligendum, & ad spem omnem suam in ipso reponendam, ac deniq; ad faciendam illa omnia, quæ sunt huic amori, & dilectioni consentanea.

Tertio sic arguitur Præterea homo ea est natura ut possit & se ipsum, & alia multa in suis actionibus gubernare, id quod ex eo ortum habet, quia cum finem ipse cognoscat & rationem finis, ipse sibi potest finem præstitui, vnde & animal prouidum dici conuenit. Quare differt a cæteris animantibus. Ea siquidem providentiā participant solū, quatenus providentiæ subduntur, At creatura mentis particeps participat providentiā diuinam, non solum quoad hoc, ut per eam gubernetur, verum etiam ut se & alia gubernet, At omnis inferior providentia, diuinæ providentiæ subiacet, tanquā supremæ, igitur gubernatio creaturæ mentis, & rationis compotis, quod atinet ad actiones personales, diuinæ providentiæ, & gubernationi subijcitur.

Quarto Propter quod vnum quodq; tale est, & illud magistrale est, at cætera alia diuinitus prouidentur propter hominē, igitur ipse homo multo magis diuinæ providentiæ

In lumine gratiæ diuinitus infuso, iuuatur homo & quoad intellectum & quoad voluntatem.

Vide efficaciam gratiæ, & bene nota.

3. Ratio supra ce ipsa particulari hominis prouidentia, qua sibi ipse prouidet. Homo est animal prouidum.

4. Ratio sumitur ex hominis præstantia, et excellentia supra

1. Actiones humanæ diuinæ providentiæ subduntur.

2. Prima ratio sumitur ex vniuersali dei efficiencia.

3. Ratio sumitur ex ipsamet providentiæ ratione.

4. Homo indiget speciali directione, & gubernatione ad consecutionem sui finis.

DISTINCT. 39. DE DIVINA PROVIDENTIA.

cætera animalia, qua efficiuntur, ut ipse propter se, cætera vero alia propter ipsum, gubernentur & diuine providentiæ subdantur.

In quolibet toto principaliore partes per se requiruntur, at cætera alia propter ipsas principales.

Ratio sumitur ex anime hominis perpetuitate. Creatura rationalis perpetuitate sibi vendicat, non solum quoad ad speciem verum etiam quoad ad individuum. Unde dirigitur per diuinam providentiã quoad actiones non solum speciem consequentes, verum etiam personales.

tia subijcitur. Minor probatur, tunc ex eo quia dominus Deus omnia alia voluit homini esse subiecta, ut dicitur Psalm. 4. omnia subiecisti sub pedibus eius, oves, & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres celi, & pisces maris, qui perambulãt semitas maris. Iam autem in familia & repub. rectissime constituta, & sapientissime ordinata, dominis ac liberis prouidetur propter ipsos, seruis autem propter dominos, & liberos, ut scilicet sint vsui, & emolumento ipsis dominis, & liberis.

Ostenditur etiam ex eo, quia in partibus vniuersitatem componentibus, creaturæ earum quæ mentis, & rationis sunt participes sunt nobiliores, sunt igitur propter se quæ sita, & expetita in vniuerso, cætera vero alia propter ipsas, Etenim in quolibet toto principaliore partes per se requiruntur ad constitutionem totius, cætera vero alia propter ipsas principaliore partes, ceu ad conseruationem earum, aut ad aliquem vsu, & vtilitatem earum, igitur creaturæ rationales sunt propter se a diuina providentiã gubernatæ, cætera vero creaturæ propter ipsas, ac proinde creaturæ rationales magis diuinæ providentiæ subduntur, quam omnes alia creaturæ.

Præterea creatura rationis participes est in corruptibilis, & immortalis non solum secundum speciem, verum etiam secundum individuum, id quod ortum habet ex anime rationalis immortalitate, actiones igitur creaturæ rationalis diuinæ providentiæ dispositioni subduntur, non solum ea ratione qua ad speciem pertinent, verum etiam quatenus sunt actiones personales. Consequenter firma est, quoniam perpetua, & sempiterna primū, & propter se sub diuinã providentiã cadunt.

Et confirmatur, quia cum creatura rationalis habeat intellectum, & voluntatem, quorum beneficio potest internoscere quid bonum sit, & quid malum, quidque pro temporum, & locorum diversitate eidem, vel alijs conueniat, aut non conueniat, fit ut sit capax gubernationis, per quam dirigitur a Deo ad suas actiones non solum secundum speciem, verum et secundum individuum.

Postremo, illa creatura cui aliquid impu-

tatur ad culpam, & ad meritum, speciali quodam modo diuinæ providentiæ subijcitur, At creatura rationis participes est huiusmodi, ut quæ sit domina suarum actionum, sequitur ipsa moueat ad agendum, creatura igitur rationalis specialiori modo diuinæ providentiæ subijcitur. Maior ex eo intelligitur, quia cum dominus Deus sua providentiã cuncta rectissime, & sapientissime disponat, hæc rectissima, & sapientissima diuinæ providentiæ dispositio postulat, ut culpæ reddatur pœna, meritis vero bonis præmiũ tribuatur, neque sit ut inquit Augustinus, malum aliquod impunum, neque bonum irremuneratum.

Ad hanc porro specialem Dei circa homines providentiã comendandam, pertinet illa verba sap. 12. posita, cum magna reuerentiã disponis nos. Et illa posita Psalmo octauo, Quid est homo quod memor es eius? vide D. Thomam. 1. p. q. 22. ad quartum. item. 3. Cont. Gent. cap. 90. & 112. item de ver. q. 5. ar. 5. & in compendio Theologiæ, cap. 1. & 3.

Est autem hoc loco magnopere annotandum, & animaduertendum, quod etsi creatura rationalis specialius & principalius diuinæ providentiæ subijciatur, quàm omnis alia creatura, specialiori tamen, & altiori modo dominus curam & providentiã habet piorum hominum, & iustorum, quam impiorum & malorum. Illis siquidem Deus prouisum, & consultum esse vult, prout conuenit hominis dignitati, ut. scilicet. nihil eis eueniat quod in bonum ipsorum non cedat, & quæcunq; eis, vnde cunq; aut quomodo cunq; eueniant, valeant ad promotionem ipsorum ad bonum, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ac postremo nihil eis accidat, quod finaliter ipsorum salutem impediatur, & remoueat.

At impijs, præsertim reprobis, non sic dominus Deus vult esse consultum, atque prouisum, ut qui bona vel mala quæ eis accidunt, non ad bonum ipsorum, sed ad bonum aliorum velit esse comparata. Quomodo Deus brutorum animalium curam, & administrationem habet. Et optimo quidem iure, ut disertissime annotauit D. Thomas de ver. q. 5. ar. 7.

6. Ratio sumitur ex eo quia creatura rationalis est capax meriti, aut de meriti, & per consequens pro merito, & pœna.

Augusti.

sap. 12.

Psal. 8.

D. Thomas multis locis.

Specialiori, & altiori modo diuinæ providentiæ subduntur iusti, quam peccatores, præsertim reprobi.

Nota.

Rom. 8.

Deus prouidet malis hominibus eo modo, quo prouidet brutis animalibus.

Nam

Nam qui consentaneae hominis dignitati vivere nolunt, sed iumentorum more cupiditatibus ad illicita rapiuntur, digni efficiuntur ut eis Deus provideat non convenienter creaturae rationalis dignitati, sed consentaneae ei providentiae ordini, qui convenit brutis, ut scilicet divinae providentiae subijciantur non propter se, sed ad aliorum utilitatem, iuxta illud Psal. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ex quo intelligi licet, impios sub generali providentiae ordine, non itidem speciali, quem scriptura sacra Deo circa homines attribuit, contineri. Et advertant hoc impij, & intelligant quantum vilescant apud Deum, qui sub ordine contineantur iumentorum, ut sic pudore suffusi a peccandi studio abducantur, & ad colendae virtutis studium traducantur.

Ceterum de Brutorum animalium providentia quaestio est. Quibusdam visum est, in quibus fuit Rabi Moyses, ut refert D. Thom. in disputatis de ver. q. 5. ar. 6. omnino animalia rationis expertia ipsorumque actiones, siue operationes sub divina providentia minime contineri, idque secundum individuum, licet secundum speciem sub divinam providentiam cadant, siquidem ipsa species sit a deo cum instituta, tum provisa. Huic tamen sententiae aperte adversatur scriptura sacra, quae Dei providentiam, & curam etiam circa bruta animalia commendat. Dicitur enim in Psal. Qui dat iumentis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus eum. Item Psalmo 103. Catuli leonum regentes ut rapiant, & quaerant a Deo escam sibi. Haec tamen scripturae sacrae testimonia adversaria opinionis authores referenda esse putant ad providentiam secundum speciem, non autem secundum individuum. Haec tamen sententia multum detrahit divinae perfectioni, ut quae subtrahat ei ordinationem particularium, quatenus particularia sunt. Quocirca sic argumentor. Aut deus scit particulares actiones brutorum, aut non scit. Si non scit, deus igitur non est omniscius, id quod de rogat

scientiae, & sapientiae Dei, cuius non est numerus. Scit igitur Deus singulares brutorum operationes, aut igitur eas dirigit, atque ordinat, aut secus, si non ordinat, & dirigit, aut non ordinat quia non scit, aut quia non vult, dici non potest illud prius, siquidem id repugnet infinitae Dei sapientiae, quae disponit & gubernat omnia, attingens omnia usque ad ultimum, Neque etiam hoc posterius dici potest, id siquidem pugnat cum summa Dei bonitate, qua efficitur, ut deus bonitatem suam omnibus impertiat, & super omnia diffundat. Unde si Deus, quatenus est bonus provideat rebus, & quatenus summe bonus suam in omnia bonitatem diffundit, sequitur ut particulares brutorum operationes dirigit, & gubernet, eorumque curam gerat etiam in particulari, Non tamen eo modo, quo homines a Deo reguntur, & gubernantur. Nam hominum etiam in singulari est providentia propter se, brutorum propter aliud, nempe propter bonum alicuius particulatis, hominis scilicet aut bruti. Qua de re tertio huius quaestionis membro disputabitur.

Ita posterior conclusio in parte tractata est. Ac utrique conclusioni Divus Damascenus 2. de fide orthod. cap. 29. sic fidem facit. Dominus Deus est natura bonus & sapiens. Ac quatenus bonus est, provideat, & curam habet omnium, Etenim non provideat, non esset bonus, nam & homines, & animalia muta ratione carentia filijs suis provideat, etsi non providerent vituperarentur, quatenus vero sapiens, optime, & decentissime curam habet omnium, ita ut ea ratione excogitari non possit melior, & deo decentior, Deus igitur omnia non solum administrat & curat, verum etiam sapientissime administrat, & optime, ita ut neque sapientius, neque melius possint administrari.

REFUTATIO CONCLUSIONUM.

AD REFUTATIONEM prioris conclusionis pertinent rationes illae omnes quibus aliqui

Psal. 48.

bruta animalia divinae providentiae subijcuntur, contraque visum est quibusdam.

Psal. 146.

Psal. 103.

Damascenus.

Deus curat omnia sapientissime, & optime.

DISTINCT. 39. DE DIVINA PROVIDENTIA.

aliqui adducti diuinā prouidentiam, vel in toto sustulerunt, vel in parte. Reliquum est vt posteriorem conclusionem in parte tractatam, quoad partes singulas refutemus.

1. Argu-  
mentū cō-  
tra prou-  
identiam  
rerū cor-  
ruptibili-  
um.

Ac primum res corruptibiles diuinæ prouidentia non subiacere, sic ostenditur. Si res corruptibiles subessent diuinæ prouidentia, aut ei subessent qua tales sunt, aut qua in corruptibilitatem quandam, & perpetuitatem habent, secundum naturam speciei videlicet, si priori modo, multa sequuntur incōmoda, in quibus illud est primum, quia deus esset simul causa effectiua creaturæ, & eiusdem destructiua, id quod alienum est à sapiente, sibi enim ipse aduersaretur, eadē destruens, quæ prius ædificauerat.

Secundum incōmodum est, quia deus esset causa corruptionis, & cū corruptio defectus sit quidā, deus esset causa alicuius defectus.

Tertium incōmodū est, quia diuinæ prouidentia attribueretur deperditio natura, id quod alienū est à diuina prouidentia, cuius proprium est naturas rerū tueri, & conseruare, non perdere, res igitur corruptibiles qua huiusmodi, non videntur diuinæ prouidentia subiacere, subiacent igitur posteriori modo, at vt sic quandam permanentiā, & incorruptibilitatē habent, falsa est igitur assertio dicēs res corruptibiles diuinæ prouidentia subesse.

1. Argu-  
mentum  
contra prouidentiam  
malorū.

Porro mala siue pœnæ, siue culpæ non contineri sub ordine diuinæ prouidentia hinc intelligitur. Primum, quia omnis sapiens prouisor remouet, & excludit malū quantū pōt ab ijs, quorū gerit curam, cū igitur mala multa cernantur in rebus, sequitur vt deus aut nō possit ea amouere, & amoliri, & ita non esset omnipotens, aut certe non omnium curam & procuracionem habet.

2. Deinde authore Damasceno 2. libro cap. 29. omnia quæ diuinæ prouidentia subdūtur rectissima, optima, deoq; decentissima ratione sunt, ita vt fieri melius non possint, At vniuersum esset melius, si nullum malū siue nature, siue culpæ, siue pœnæ in eo cerneretur igitur mala non videntur sub ordine diuinæ prouidentia contineri.

3. Tertio, quæ cadunt sub ordinem prou-

dentia, continentur sub intentione prouidentis, sed mala sunt præter diuinam intentionē Etenim vt ait D. Dionysius 4. cap. de diuinis nomin. Nemo sapiens operatur ad malū respiciens, non videntur igitur mala diuinæ prouidentia subesse.

Iam autem casualia, & fortuita diuinæ prouidentia non subesse, hinc ostēditur, quoniā prouidentia rationis quendā ordinē importat, siue quandam ordinationē rationis, At quod casu, & fortuito fit, præscriptione quadā & ordinatione rationis non fit, quid enim tā alienū a ratione quā casus, & temeritas? prouidentia ergo non fit, ac proinde fortuita, & casualia diuinæ prouidentia minime subdūtur, et si contendas subdi, casualia & fortuita non sunt, itaq; tolleretur ex rebus casus, fortuna, id quod abhorret a comuni sententia & opinione.

Porro autem humanas actiones diuinæ prouidentia non subijci, hinc intelligitur. Primum, omne quod est prouisum est ordinatū & institutum ad vnum, sed liberū hominis arbitrium non est ordinatum ad vnum, sed æque affectum est ad vtrūlibet, ea igitur quæ sunt liberi arbitrij, non videntur diuinæ prouidentia subiacere.

Prætera, quicumq; sibi dimittitur, nō subest prouidentia alicuius gubernantis, at qui homines sibi dimittuntur, iuxta illud Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem & dimisit eum in manu consilij sui, id quod speciatim malis contingit, de quibus in Psalmo dicitur, dimisit eos secundū desideria cordis eorum, ibunt ad inuentionibus suis, non videntur igitur hominum actiones diuina prouidentia gubernari.

Præterea, hominū actiones frequenter a recto ordine deflectūt, id quod nō cernitur in mutis, & sensus expertibus rebus, semper enī præscriptū, & præstitutū ordinē seruant, cursūq; suū retinent, peragūtq; indefectibiliter, iuxta illud, præceptū posuit, quod non præteribunt, non videtur igitur humana actiones diuina prouidentia regi. Cōsecutio firma est, si quidē nobilior creatura debuit nobiliori modo per diuinam prouidentiam gubernari.

Postre-

Argumē-  
tum cōtra  
prouide-  
tiā fortu-  
itorum,

Contra prouidentiam  
humanarū  
actionū  
argumentū 1.

2. argum.

Psal. 80.

3. argumē-  
tum.

Psal 148.

Ecclesia  
stes. 9.

Dama-  
scenus.

Argu-  
ta cōtra  
viden-  
bruto  
Abacu-

Niere-  
mus.

1. Co-

1. Ar-



4. Postremo, quæ casu fortuitoque geruntur, non videntur alicuius gubernantis providentiæ, & rationi subesse, atqui humanæ actiones casu, fortuitoque peraguntur, iuxta illud Ecclesiastes 9. vidi neque velocium cursum, neque fortium bellum, sed tempus, casumque in omnibus, quo loco Ecclesiastes ille de actionibus humanis loquitur, cum igitur casu, fortunaque gerantur, sequitur vt providentia minime regantur.

Ecclesiastes 9.

Damasce-nus.

Accedit ad confirmationem Damasce-ni authoritas. 2. libro cap. 29. quo loco ait, ea sub divinam providentiam cadere, quæ in nobis sita nõ sunt, Nam quæ in nobis sita sunt, ea non subijciuntur providentiæ, sed liberæ potestatis sunt, & arbitrij.

Cum igitur humanæ actiones sint liberæ potestatis, & arbitrij, sequitur vt divinæ providentiæ non subsint.

Argumē-ta cotra providentia brutorū. Abacuc.

Ad extremum animalia bruta non subijci divinæ providentiæ videtur colligi ex sanctis literis. Dicitur Abacuc primo. Quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio iustiores se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem? Quasi diceret, cum tam multa inordinata, & iniusta in mundo conspiciantur, videntur humana omnia nulla providentia regi, quemadmodum animalia bruta nulla etiam providentia administrantur.

Hierony-mus.

Quo loco, ait Divus Hieronymus in commentario, Absurdum est ad hoc deducere dei maiestatem, vt sciat per momenta singula quot culices nascantur, quotue moriantur, & quota pulicū & muscarū sit multitudo, quotue pisces natent in aquis, & similia.

1. Cor. 9.

Item 1. Cor. 9. ait Apostolus, Nunquid cura est Deo de bobus? iam quemadmodū ipsi Deo non est cura de bobus, relinquatur vt similiter cætera animantia rationis expertia non sint ei cura.

6. Argu.

Et confirmatur ratione. Etenim quid cōduceret brutis animantibus, & quid præstaret divina providentia, cum neque perducipossint ad finem quem Deus intendit, qui non est aliud, quam ipse Deus, quippe quia non possint peruenire ad participationem

Dei, neque mala, quæ eis eueniunt, cedant in bonum proprium, quippe cum nullum sit eis præmium post mortem, non videtur igitur divina providentia regi. His argumentis refutata est secunda conclusio, sequitur vt has refutationes diluamus.

DILUTIO ARGUMENTORUM.

Porro in diluendis refutationibus sic procedemus, vt primum diluantur ea argumenta, quibus secunda conclusio est infirmata, deinde ea motiva dissolventur, quæ homines ad negandam divinam providentiam impulerunt, quæ initio quæstionis exposuimus.

Quod igitur ad argumentum attinet contra providentiam rerum corruptibilium inductum, dicimus res corruptibiles in particulari, & qua huiusmodi divinæ providentiæ subijci. Porro ad primum incommodū contra illatum respondetur, concedendo maiorem, negatur autem minor. Nam sapiens provisor, non tam attēdit ad commodum vnius eorum, quæ ipsius providentiæ subdantur, quam ad commodum & utilitatem omnium. Quamuis igitur corruptio & interitus vnius particularis in vniuerso non sit ei conveniens, expedit tamen vniuersitati. Nā perpetua corruptione & generatione indiuiduorum esse speciei conseruatur, quod ipsum perse pertinet ad perfectionē vniuersi.

Ad 1. contra providentiam corruptibilium.

Corruptio licet sit malū vnius particularis, expedit tamen vniuerso.

Ad secundum incōmodum respondetur Deū esse causam corruptionis, non quidem vt aliquid agentē, sed vt non tribuentē permanentiam, quæadmodū tenebræ sunt aiole, non vt ab aliquid emittente, sed vt non emittente, & radios subtrahente. Ac hoc modo nihil prohibet Deū esse causam defectus, nõ quidē positive influendo, sed subtrahendo id quo posito non esset defectus.

Ad 2.

Deus est causa defectus nõ positive, sed priuatiue.

Ad tertium incōmodum respondetur ad minorē, ea quæ propter se providētur, perpetuo per divinā providentiā cōseruari, nõ aut ea, quæ non propter se, sed propter alia providētur. Hæc siquidē tādū manēt, quantum expedit ijs, ppter quæ puidētur, ac proinde tādē ali

Ad 3.

DISTINCT 39. DE DIVINA PROVIDENTIA.

quando intereunt, atq; corrumpuntur.

Ad 1. cōtra prouidentiam malorū.

Particularis prouisor excludit malū ob eo particulari eius curā gerit, vniuersalis non itē.

Quod attinet ad argumenta contra prouidentiam malorum inducta, Ad primum respondetur, duplicem esse prouidentiam, vnam particularem, vniuersalem alteram, ac proinde duplex est etiam prouisor, particularis vnus, ille scilicet qui alicuius particularis curā gerit, vniuersalis alter, ille scilicet qui omnium curam gerit, omniaque administrat. Quamuis igitur particularis prouisor, quantum potest ab eo particulari, cuius curam gerit, amoueat malum, & defectum idque eius sapientiæ congruit, id tamen non congruit vniuersali prouisor. Nam cum ei propositum sit bonum totius, interdum permittit aliquem defectum in aliquo particulari, ne bonum totius præpediatur, quod est ei potissimum propositum. Quemadmodum chyrulgius præscindit manum, vt conseruet corpus in colume.

Cum igitur dominus Deus sit vniuersalis, & prudentissimus totius entis prouisor, ad eius sapientiam pertinet vt permittat particulares defectus in aliquibus rebus, ne bonū vniuersi impediatur. Si enim ōnia mala tollerentur, multa bona deessent vniuerso, ex quibus tamen vniuersitatis perfectio, & pulcritudo consistit. Nō enim esset vita Leonis, si nō esset occisio animalū, neq; extitisset Martyrum constantia, & patientia, si non fuisset tyranorum persecutio. Ita Deus nunquā mala permitteret, nisi ex malis eliceret bona, vt author est magnus Augustinus.

Obijcitur cōtra resolutionē.

Obijci tamen cōtra hanc resolutionem multa possunt. In primis illud obijcitur, quia bonum est potentius malo, igitur ex bono multo potius eliciuntur bona, quam ex malo, non est igitur necessarium ut permittantur mala, vt ex illis eliciantur bona.

Præterea, nullus prudens permittit bonū, vt inde eueniat malum, igitur nullus prudēs permittit malum vt inde eueniat bonum, cū igitur Deus sit prudentissimus, & sapiensissimus, sequitur vt non permittat mala vt inde eueniant bona. Ac proinde mala quæ sunt in mundo non videntur sub diuinam prouidentiam permissionis cadere.

Tertio, id quod vitio vertitur nobis, nullo modo est Deo optimo, maximo attribendum, atqui nobis vitio vertitur, facere mala, vt inde eueniant bona iuxta illud Pauli ad Rom. 3. non sunt facienda mala vt eueniant bona, igitur diuinæ bonitati, & sapientiæ non cōuenit, permittere mala fieri, vt ex malis bona eliciantur.

Postremo mala culpæ non videntur ad perfectionem vniuersi pertinere, tum primo quia si Deo cooperante homo, vel Angelus nō peccasset, vniuersum multo esset melius atque perfectius, vt pote quia nulla creatura deflexisset a supremo ordine vniuersi, quem respicit diuina voluntas, iam autem malum culpæ in huiusmodi deflexione positum est, tum secundo, quia bona, quæ ex malo culpæ occasionantur, nempe patientia Martyrum, & poenitentia, non defuissent vniuerso, vt quæ haberi potuerint in præparatione animi. Non videtur igitur quo pacto mala culpæ sint a Deo permilla propter perfectionē vniuersi.

Ad primam obiectionem respondetur, esse aliqua bona, quæ esse, & extare non possunt, nisi supposito malo, ceu patientia Martyrum extare minime potuisset, nisi antecessisset tyranorum persecutio, & poenitentia esse non potuit, nisi præposito malo culpæ. Neque huic rei obstat imbecillitas malitub coparatione ad bonum, siquidem hæc bona non eliciantur ex malo quasi potentiore, aut tanquam ex causa perse boni, sed tanquam ex causa per accidens, & materialiter.

Ad secundam obiectionem concessio antecedente, negatur consequentia. Est siquidem valde dispar ratio. Etenim nullus sapiens ordinat aliquid ad malū, immo vero ad bonum, iam autem si sapiens faceret bonum vt inde eueniret malum, bonum ordinaret ad malum, quod alienum est non solum a sapiente, verū etiam ab omni operante. Nullus enim, authore Dionysio, intues & respiciens malum operatur. At cum bonū ex malo elicitur, nō inde provenit quod malū ordinetur ad bonū, sed ex eo potius quod illud

Dilutio obiectionum. Ad primā obiectionem. Multa bona esse non possunt, nisi supposito malo, nō quidem tanquam ex causa perse boni, sed tanquam ex causa per accidens, & occasione.

Ad 2.

Ad 3.  
Ad 4.  
Vniuersi non fecerunt peccatum, melius nullū eo culpa titisse

illud bonum perse expetatur, quod tamen esse non potest, nisi supposito malo tanquam causa per accidens & tanquam occasione duntaxat.

Ad 3<sup>o</sup>. Ad tertiam obiectionem respondetur, quod facere malum propter bonum consequendum est in vitio, ac proinde illud nullo modo est Deo attribuendum. At ordinare malum ad bonum, non repugnat bonitati, & sapientiae, ac proinde vitio caret, ac proinde nihil est incommodi, & absurdi illud Deo attribuere. Non repugnat ergo divinae bonitati, & sapientiae permittere mala fieri, vt bona inde eliciantur.

Ad 4<sup>o</sup>. Ad quartam obiectionem respondet Caietanus. 1. p. q. 22. art. 2. omnino vniuersum non futurum fuisse melius, & perfectius si non fuisset vllum malum culpa: vt pote quia multe, & eque insignes perfectiones de essent vniuerso, quae occasionem sumpserunt ex malo culpa, vt patientia martyrum, poenitentia, iustitia punitiua, quae tamen ipsa vniuersitatis integritas requirit.

Deesset etiam illa ineffabilis & inestimabilis diuini verbi cum humana natura hypostatica coniunctio, quae ex peccato occasionata est, quae tantum, tamque excellens bonum est, vt excedat in bonitate omne malum culpa, non solum hominum, verum etiam Daemonum: quae vniuersae, omnis est natura creata eleuata, & ad summum decus prouecta. Et quamuis ordo ipse in diuinam bonitatem ex malo culpa sit laesus, tantum tamen boni ad eundem ordinem spectantis dominus Deus ex malo culpa elicit, vt feliciter actum cum vniuerso dicere possimus cum Deus malum culpa permisit, iuxta illud Gregorij, o felix culpa. ecet.

Ad aliud vero dicitur, vniuersitatis perfectionem, & integritatem postulare, vt virtutes omnes in eo inueniantur secundum actum perfectum, constat autem perfectum statum virtutis consistere in actu secundo, non in habitu, si igitur supra memorata virtutes in vniuerso reperirentur solum in animi preparatione, proculdubio deessent vni-

uerso multae virtutes.

Hoc etiam postulat diuinæ providentiæ ratio, quæ rem quanquam ordinat & dirigit in finem, non mutata, aut sublata, sed conservata natura rei quæ dirigitur in finem, id quod est suauiter omnia disponere, hoc est, accomodate ad naturam cuiusque rei, ita vt rationalia, & libera, seruata sua libertate gubernentur, naturalia veto, seruata vi sua & propensione. In qua suauiter rerum omnium gubernatione consistit præclarum, optimum, & sapientissimum vniuersitatis regimen.

Sed ad huc obijci contra potest. Tunc malum sapienter permittitur, quando bonum quod elicitur ex malis est multo maius, quam illud bonum quod aufertur per malum, atqui bonum quod aufert malum culpa est multo maius, quam omne bonum, quod elicitur ex malo culpa, non fuit igitur vlllo modo permittendum. Maior pater inductione, Etenim quia bonum patientiæ Martyrum maius, & præstantius bonum est, quam bonum vitæ corporeæ ipsorum, etenim hoc bonum breui tempore durat, illud vero acquirit vitam beatam sempiterno tempore duraturam, idcirco permittum est malum persecutionis tyrannorum. Et quia maius bonum est reluctance iustitiæ punitiue Dei in vniuerso, quam sit iustitia, & innocetia omnium hominum, & Angelorum, propterea permittum est lapsus hominum, & Angelorum. Minor patet, quia malum culpa aufert bonum infinitum, quo nullum aliud est maius & præstantius. Respondet syluester in conflato. q. 22. ar. 9. quod si per culpam auferretur bonum illud infinitum ab vniuersitate, proculdubio nunquam fuisset culpa permittum, at non aufertur vniuersitati, sed huic peccanti duntaxat. Iam autem maius bonum est perfectio vniuersi, quam quod iste habeat gratiam, quam habere non curat.

Ad secundum argumentum contra providentiã malorum, respondetur negando Minorẽ, etenim multum perfectionis fuisset de tractu vniuersitati, si nullum malum in eo cereretur, deessent enim illa naturæ ex quarum cõditiõẽ malum cõtigit, cuiusmodi sũt illæ na-

Esse mala in vniuerso postulat suavis vniuersi dispositio.

Obiectio vehemensissima.

syluester

Peccatum non aufert simpliciter vniuersitati bonum, sed solum huic peccanti.

Ad 2. principale.

Multum perfectio nis fuisse: vniuersitati detractū, in nullum in ea extaret malū.

turæ quæ suapte natura possunt deficere, & non deficere, quæq; nocumentum alijs inferunt, vt Leones, Lupi, & id genus cætera animalia, quæ tamen non solum valent ad perfectionem, & integritatem vniuersi, verum etiam eidem multum pulcritudinis, & ornamenti adiungunt. Non enim posset ab vniuersitate malum excludi, nisi illæ naturæ tollerentur, ex quarum sublato, multum fuisset perfectionis de vniuersitate sublato.

Diuina providentia rem quæque suæ naturæ, ingenio, & propensione permittit.

Neq; est quod dicas, manentibus illis naturis, potuisse nihilominus illa mala præpediri, hoc est, non permitti: Nam hoc repugnet rationi & ordini providentiæ, quæ rem quæque suæ naturæ, ingenio, & propensione permittit, id quod etiam exigit suavis rerum omnium dispositio. Sapientissime ergo deus permittit mala in vniuerso.

Ad 3.

Malū nō est per se intentū, sed per accidens, hoc est, ratione boni adiuncti.

Ad tertium respondetur, neque mala naturæ, neque mala culpæ esse a Deo per se intentā, Malum enim quatenus malum non est intentum, & hoc vult Dionysius, sunt tamen intentā per accidens, hoc est, ratione boni adiuncti. Nam cum Deus ex malis eliciat bona, non intuens in malum, sed intuens in bonum, mala ordinat, & disponit. Dicit etiam potest, quod mala a Deo non sint volita, & intentā neque per se, neque per accidens, sed quod non sint nolita, aut exclusā per intentionem, siue volitionem causæ primæ, sed permissa propter integritatem, & perfectionem vniuersi. Vnde permissio ipsa malorum est intentā, & volita, non ipsa mala.

Deus vult et intēdit permissio nē malorum, non aut ipsa mala.

Ad argumentū contra providentiam fortuito rū, et casualium respoſio.

Ad argumentum vero contra providentiam fortuitorum respondetur, fortuita, & casualia in ordine ad causas suas proximas esse talia, secus in ordine ad causam primā & vniuersalem. Namque effectus effugere potest ordinem causæ particularis, non autem ordinem causæ vniuersalis, sub cuius causalitate, & dispositione omnes causæ particulares concluduntur. Quatenus igitur effectus subducitur ab ordine causæ particularis, dicitur casualis, & fortuitus, quatenus vero subest ordini causæ vniuersalis, & ab

eo ordine non potest subduci, dicitur prouisus. Ad formam igitur argumenti respondēdo dicitur, id quod casu & fortuito accidit, non fieri præscriptione rationis causæ particularis, sed causæ vniuersalis, quam non potest effugere. Ad obiectionem vero in contrariū respondetur negando consequentiam. Nam effectus consequitur conditionē causæ suæ proximæ. Vnde quamuis sit a Deo prouisus, dicitur tamen casu euenire, si accidat præter intentionē naturæ operantis, fortuito vero, si accidat præter intentionē agētis à proposito.

Effecta sunt fortuita in ordinem ad causas proximas, & particulares, non autem in ordine ad causam primā, & vniuersalem.

Ad 3.

Hoc sub diuina providentia bilior gradu obtine

Sequitur vt diluantur argumenta contra providentiam actionum humanarum induta. Ad primum igitur argumentum admittit maiorē propositione, dicitur ad minorem, liberum hominis arbitrium esse illud quidē ad vnum per se affectū, nempe ad bonum, ita tamen vt ab eo possit deflectere, & hoc ipsū positum est in ipso, alioqui si ad bonum inuitabiliter, & indefectibiliter tenderet, tolleretur natura voluntatis. Et quoniam diuina providentia res omnes curat, & administrat seruata rei cuiusque natura, in quo consistit suavis rerum omnium dispositio, propterea nō repugnat liberum arbitrium esse indifferens ad vtrumlibet, & tamen actiones humanas diuinæ providentiæ subesse.

Dilutio argumentorū contra providentiam actionū humanarum.

Ad 2.

Diuina providentia est cum libertate voluntatis.

Ad 4.

Ad secundum respondetur, illis verbis non declarari hominem subduci diuinæ providentiæ, & gubernationi, sed hominem esse liberi arbitrii, ita quod ei non sit diuinitus præfixa vis actiua determinata ad vñ duntaxat, quemadmodum rebus naturalibus, sed ad vtrumlibet per liberum arbitrium. Vnde significanter dicitur, hominem non esse dimissum a Deo, sed in manu consilii sui, hoc est, consilio suo, & suæ electioni esse permissum, iam autem libero arbitrio contulitur homo, saltim imperatiue, & libero arbitrio eligit.

Ad 1.

Quod vero ad impios attinet, illis verbis Psalmi non significatur, impios a Deo relinqui, & ab ipsius dei providentia subtrahi etenim si relinquerentur, & a diuina cura, & providentia desererentur, omnino in nihilū deciderent, sed significatur verbis illis, Deū

Impij diuinacura & providentiam nime detrahitur.

non